QUAESTIONES

DE

ARISTOPHANIS VESPIS.

Specimen Litterarium Inaugurale

SCRIPSIT

P. J. HOEKSTRA.

LUGDUNUM BATAVORUM.
APUD FRATRES VAN DER HOEK.
1878.

QUAESTIONES

DE

ARISTOPHANIS VESPIS.

Ex Typographeo De Breuk & Smits.

QUAESTIONES
DE
ARISTOPHANIS VESPIS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. E. J. MODDERMAN,

JUR. ROM. ATQUE HOD. DOCT. ET IN FACULTATE JURIDICA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITTERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

PETRUS JANUS HOEKSTRA,

E PAGO GROUW, FRISIUS,

DIE XIV MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXVIII, HORA III—IV,

IN AUDITORIO MAJORE.

LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD FRATRES VAN DER HOEK
1878.

PARENTIBUS SACRUM.

INTROITUS.

DE FIDE HISTORICA COMICORUM.

Virium mearum experimentum facturo in nonnullis Aristophaneis quaestionibus tractandis, non alienum a meo consilio videtur si praefationis loco, Comoedia Attica, quaenam emolumenta ad Historiam illustrandam afferre possit, paucis disputare conabor. Permultos ante me hac de re disseruisse et multa jam mihi esse praerepta non ignoro; fortasse autem mihi continget ut quaedam minus nota colligam ac proferam.

Ne primum quidem inspicientem latet Comoediam Antiquam imaginem populi Atheniensium veluti referre et reddere, in omnibus vitae condicionibus cives ita depingentem ut vivere et oculis cerni videantur. Qua in re

procul dubio poëtae a rei veritate numquam discedebant, sed vitam quotidianam qualis revera esset, presse accurateque imitabantur; nullo modo enim in talibus spectatores falsa sibi pro veris imponi passi essent. Ut uno utar exemplo: causa canina, quae in Vespis proponitur, certam praebet imaginem rei judiciariae. Quae quidem nisi veram judiciorum formam imitata esset, ut causa legitima et omnibus rebus perfecta videretur agi, qui risum theatro movisset?

Solebant Poëtae Comici quid de omnibus ad remp. administrandam pertinentibus rebus sentirent, libere ac ingenue significare. Notior res est et testatior, quam ut pluribus verbis explicanda esse videatur; an vero in his eandem quam in ceteris exhibeant fidem brevi praecidam.

Antiqui qua erant petulantia et acerbitate incredibilem in modum inimicitias exercebant in eos a quibus in rep. gerenda dissentiebant. Nihil intentatum relinquebant, nihil non experiebantur, modo adversarium perverterent ac perfringerent, nam virtus habebatur *τὸν μὲν φίλον πάντα τἀγαθὰ ποιεῖν τὸν δ' ἐχθρὸν πάντα τὰ κακά.*

Hujus implacabilis odii vestigia nusquam melius cernuntur quam in Comoedia Antiqua, quae omnium Graecorum consuetudinis parum memor ne mortuis quidem pepercit. Sic Aristophanes Hyperbolum, quem in Acharn. jam tenet arreptum, post mortem Thesm. vs. 840 sqq. illudit simul cum matre quae talem filium pepererit. Per viginti annos acerbissima convicia evomuit in Clisthenem quendam, qui ex uno Aristophane et unico loco Schol.

innotuit (Schol. Nub. 354); postremum filius ejus agitur podicem vellicans in tumulo patris, qui in proelio navali apud Arginusas ceciderat (Ran. vs. 422 sqq.); Cleonem mortuum Aristophanes exagitat Pac. vs. 753 sqq.

Comoedia jure quodam suo hoc habet ut semper et ubique modum excedat; in personis depingendis imprimis curans ut risum et hilaritatem concitet. Qua libertate in ipsa Comoediae indole sita, Poëtae effrenata licentia utebantur, vel potins abutebantur. Nemini qui vel primis digitis Veteris Comoediae reliquias attigerit, perspicuum non erit Comicos ad unum omnes favere partibus optimatium. Quorum factionem amplectebantur ut propriis indulgentes studiis, ita necessitatis lege coacti. Incumbebat enim τοῖς πλουσίοις munus choros instruendi et ornandi, quod maximi erat momenti in comoediis agendis. Itaque ut Oligarchiae fautoribus, suis tamquam patronis placerent acerrima Comici tela in omnes Demagogos conjiciebant, mordacissimis dictis eos lacerantes. Cratinum eo esse progressum audaciae ut Periclem in scena deridendum

---

*) G. Bernhardy. Grundr. d. Gr. Lit. II p. 605. „Sie (die alte Komödie) verwaltet das Amt einer politischen Censur oder Opposition, indem sie zum ersten Male gleichsam als ein edles Pamphlet oder Parteiblatt mit unbeschränkter Parrhesie die öffentliche Meinung vertritt."

Miror autem quo pacto mox addere possit: „In der Zeichnung ihrer Zeitgenossen war die Komödie wenig parteilich; da sie keinen schont, macht sie keinen Unterschied zwischen Oligarchen und Führern der Volkspartei." Componat mihi aliquis Aristophanis in Demagogos maledicta cum leni ac miti judicio quod de Nicia poëta fert Eq. vs. 358 Av. 639 Eccl. 428 sqq.

praeberet, Aristophanemque virum eximium saepius petulanter perstrinxisse vix est quod moneam. *)

Post Periclis obitum in vacuam possessionem unius multi venerunt; qui quum minus possent auctoritate dominari cives, magis quam ille delinire plebem sibique obsequio conciliare studebant, libertatem large ministrantes. †) Quo modo in hos Aristophanes invectus sit unicuique notum est. Saepius autem Comici criminationes et exprobrationes ejusdem sunt notae ac Oratorum foedissima quaeque in adversarios conjicientium, dum argumenta et testes atrocia crimina confirmantes plerumque non proferuntur. Apud Aristophanem passim Demagogi arguuntur crassae ignorantiae, impudentis protervitatis, ad unum omnes sunt venales fures boni publici. Quae vitia saltem omnia pertinent ad rem publicam administrandam. Sed qui quaeso fieri potest ut nemo Democratiae fautorum non sit luxuriosus, teterrimis et turpissimis vitiis obnoxius? §)

Κεκολλόπευκας, τοιγαροῦν ῥήτωρ ἔσει

legitur in Platonis com. fragmento. Et in Arist. Eccl. vs. 112.

Λέγουσι γὰρ καὶ τῶν νεανίσκων ὅσοι
πλεῖστα σποδοῦνται δεινοτάτους εἶναι λέγειν. **)

---

*) Quo loco ac pretio Aristophanis de Pericle narratiunculae Acharn. 524 sqq. Pac. vs. 670 sint habendae exposuit v. cl. Cobet. Prosop. Xen. p. 80 sqq.

†) cf. Thuc. II. 65 *οἱ δὲ ὕστερον ἴσοι αὐτοὶ μᾶλλον πρὸς ἀλλήλους ὄντες καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι, ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι.*

§) cf. Equit. vs. 180 sqq. ubi Demagogi imago depingitur.

**) Similia leguntur Nub. vs. 1085 sqq.

Ne magnam talibus vim tribuamus; ipsi Poëtae Comici mutuo odio flagrantes, alter alterius famam proterve laedere solebant id genus conviciis, quae apud Graecos usitatissima erant ad inimicos vexandos et urendos.

Saepissime in Com. Attica Demagogi exagitantur ut peregrini vel ex peregrinis orti. Sic Hyperbolus modo Phryx, modo Lydus appellatur, et Cleophon Aristophani est homo

ἐφ' οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις
δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρῃκία χελιδών.

Eadem a Platone eidem Cleophonti objiciuntur et mater ejus in scena agitur βαρβαριστί loquens. *) Lysias autem affirmat et peculatus crimen quo comici eum perstringebant et peregrinam originem falso Cleophonti exprobrari. †)

Tales accusationes magnam partem sermone niti minus culto eorum, quibus crimini dantur, mihi persuasum habeo. Quam ad opinionem hisce rationibus adductus sum.

Exstat de Hyperbolo Platonis com. fragmentum:

Ὁ δ'ου γὰρ ἠττίκιζεν ὦ Μοῖραι φίλαι
Ἀλλ' ὁπότε μὲν χρείη „διῃτώμην" λέγειν
Ἔφασκε „δῃτώμην" ὁπότε δ' εἰπεῖν δέοι
„Ὀλίγον" „ὄλιον" ἔλεγεν.

Manifesto his versibus Plato, ut sexcenties barbaram

*) de Cleophonte cf. Meineke Hist. I 171 sqq.

†) Lysias: pro bonis Arist.

Hyperboli stirpem perstringit. Ex Thesm. vs. 839 sqq. dilucide apparet Hyperboli matrem fuisse civem Atheniensem, neque Andocidi credendum, quem Scholiasta facit exponentem, Demagogi patrem fuisse servum publicum. *)

Quo melius videatur quaenam fides ejusmodi criminationibus tribuenda sit, juvat pauca componere e quibus colligas quam saepe illud „barbare" Athenienses in ore solebant gerere.

In Soph. Ajace vs. 1262 Agamemnon ita Teucrum alloquitur:

σοῦ γὰρ λέγοντος οὐκέτ' ἂν μάθοιμ' ἐγώ,
τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω.

Teucer quamquam e filia Laomedontis natus habebat patrem Graecum et in Graecia vitam degerat.

Plato Protag. p. 341 Ἀλλὰ *τί οἴει, ἔφη, λέγειν Σιμωνίδην ἄλλο ἢ τοῦτο καὶ ὀνειδίζειν τῷ* Πιττάκῳ *ὅτι τὰ ὀνόματα οὐκ ἠπίστατο ὀρθῶς διαιρεῖν ἅτε Λέσβιος ὢν καὶ ἐν φωνῇ βαρβάρῳ τεθραμμένος*;

Apparet igitur Simonidem Pittacum vituperasse quod nomina recte distinguere nesciret, utpote qui Lesbius esset et in sermone barbaro educatus.

Forte fortuna Sextus Empiricus diversitatem linguae Atheniensium demonstrans incertae Aristophanis fabulae

---

*) Schol. ad Vesp. 1007. *Ἀνδοκίδης φησὶ τοινῦν περὶ Ὑπερβόλου λέγειν αἰσχύνομαι. οὗ ὁ μὲν πατὴρ ἐστιγμένος ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ ἀργυροκοπείῳ δουλεύει τῷ δημοσίῳ, ὡς δὲ ξένος ὢν καὶ βάρβαρος λυχνοποιεῖ.* De Oratorum fide non arbitror quemquam magnifice sensurum.

servavit fragmentum, quod maximum nobis praebet adjumentum: Dind. P. Scen. 552.

Διάλεκτον ἔχοντα μέσην πόλεως
οὔτ ἀστείαν ὑποθηλυτέραν
οὔτ' ἀνελεύθερον ὑπαγροικοτέραν.

Sequitur ab ipso Comice tres certe διαλέκτους distingui, quarum prima ἡ τῆς πόλεως, altera ἡ τοῦ ἄστεως, tertia colorem subrusticum exhibens; sed nisi poëtae haberemus testimonium tamen pro certo sumere possemus Athenis quoque aliam fuisse linguam civis nobilis et generosi, aliam civis ex infima plebe nati.

Neque mirandum homines, tenui loco ortos, qui in Bello Peloponnesiaco praeerant rep. Athen., ob inconcinnitatem et rusticitatem dictionis barbaros esse vocatos a poëtis indignabundis, qui summa ope nitebantur ut sermonem Atticum purum et ab omni labe incorruptum servarent. Nos autem sedulo caveamus ne haec una nobis existat causa quamobrem unum alterumve Demagogum civem Atheniensem non fuisse existimemus.

Postremo non opus est recordari quam frequenter Athenis, praesertim in judiciis privatis, ferveret ἡ ξενίας γραφή. Constat permultos malis artibus irrepsisse in civitatem Atticam, sed si oratoribus crederemus maxima eorum, qui Athenis viverent, pars injuria civis nomine gloriarentur. Aristophanem ipsum, cui tam multi ξένοι et βάρβαροι audiunt, a Cleone in jus vocatum esse ob originem peregrinam satis notum est. cf. Schol. ad Acharn. 378.

Antequam iniqua Comicorum in adversarios crimina,

missa faciamus, quin unam rem adjiciam a me impetrare nequeo. Eq. 832 isiciarius vitio dat Paphlagoni (Cleoni) quod a Mytilenaeis 40 minis corruptus *) esset:

Καί σ'ἐπιδείξω
νὴ τὴν Δήμητρ', ἢ μὴ ζῴην
δωροδοκήσαντ' ἐκ Μυτιλήνης
πλεῖν ἢ μνᾶς τετταράκοντα.

Revera autem Cleonem acerbissima quaeque in Mytilenaeos, qui ab Atheniensibus defecerant, pro virili parte commendasse Thucydides diserte auctor est. Aristophanes hoc loco impudenter in Cleonem ea convertit quibus Demagogus eos, qui leniora suaserant, perstrinxerat.

Neque Comicus in personis judicandis sibi constat. Quod luculenter cernitur in exemplo Lamachi, qui vivus acerbissimis conviciis ab eo laesus, mortuus justiora poëtae judicia consequitur quippe qui ab eo Ran. vs. 1039 sqq. heros salutetur.

Haec sufficere puto, ut pateat, quantum Aristophanes, quum in rebus politicis narrandis, tum in personis depingendis a veritate discedat. Turpius licet nobis videatur et nostris moribus prorsus non ferendum talibus adversarium artibus opprimere, ne obliviscamur Comoediam Antiquam ad nostrorum studiorum ac temporum rationem revocari nullo modo posse. Aequalium tantum, hominum urbanorum erat, praeclara illa poëtarum ingenio ficta penitus

---

*) Hoc loco provocare licet ad Grote in celeberrimo libro „History of Greece" acerrime Cleonis integritatem vindicantem.

perspicere et recte judicare. Numquam enim id fabularum genus florere potuit nisi Athenis in effrenata Democratiae licentia, qua deleta Com. Ant. statim evanuit. Quam brevi ipsis Graecis displicuerit, vix opus est demonstrare; ut de Plutarcho taceam, immo vero etiam Lucianus, ceteroquin ingenii festivate et elegantia insignis, Aristophanis fabulas recte aestimare nequit. *) Spectatores contra ad unum omnes rei publicae periti omnia in scenam producta intelligentes maximam voluptatem capiebant e facetiis lepidis et ingeniosis quibus poëtae viros primarios acriter lacessere non desierunt. Quum statim intellegerent, quae nobis saepissime sunt obscurissima, facile vera ac falsa dijudicabant, nihil plane, ut exemplum afferam, eorum credebant, quae Aristophanes jactitabat de Cleone muneribus sociorum corrupto. Delectabantur autem dicteriis salsis ac mordacibus facete a poëta in virum praepollentum conjectis. Quod nisi ita esset, qui fieri poterat ut Athenienses auctore Thucydide per multos annos in rebus gravissimis unius Cleonis judicio niterentur. Qui in concionibus omnia Demagogi verba comprobare solebant, iidem in theatro eum ridebant, ut Euripidem, ut se ipsos, ut deos etiam ridebant summa cum libertate traductos. Sed nullo modo Aristophanes eo populares perducere poterat, ut minore plausu adversarii tragoedias exciperent;

*) Pericl. 13. Lucall. 39. Epitome τῆς συγκρίσεως Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου (Mor. p. 853 sq.) Symp. VII. 8 p. 711 sq. Plutarchus demonstrat hominibus urbanis atque elegantibus comoediam Antiquam non esse ferendam. Luc. Bis. Acc.

satisque Athenienses, qui poëtas passi sunt parum reverenter de diis loqui, in causa Hermocopidarum ostenderunt se acerrime premere eos, qui serio auderent dignitatem et auctoritatem deorum minuere.*) Attamen, qui in rep. pollebant viri principes, voculas et dicteria Comicoram aegre perferebant. Pericles conatus est eorum audaciam reprimere et per amicos Atheniensibus legem extorsit qua poëtae prohibebantur ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν. Per tres tantum annos illa lex viguit, quibus praeterlapsis, populo deliciae suae redditae sunt. †) Legum vinculis liberata comoediae licentia in dies accrevit, neque mirandum Cleonem ira victum Aristophanem in jus rapuisse. Namque erat optimatibus comoedia instar teli si non letalis tamen acutissimi.

Etsi omnes intelligebant multa a Poëtis plane esse ficta multa speciem tantum veritatis exhibere, spectatores gaudebant jocis salsis lepidisque quibus vitia et ridicula carpebantur eorum, quos maxime diligebant, quibusque summam omnium rerum fidem habebant. Jure ac merito ridebant Cleonem in concione vociferantem

---

*) cf. Grote Hist. of Greece VIII p. 325. The Knigths and the Wasps of Aristophanes, not to mention other plays, are a standing evidence of one good point in the Athenian character, that they bore with good-natured indulgence the full outpouring of ridicule and even of calumny interwoven with it upon those democratical institutions to which they were sincerely attached.

†) cf. V. Cl. Cobet Obss. in Plat. Com. Rel. p. 9 sqq. Meineke Hist. Crit. p. 39 sqq.

semperque gloriantem quod ob Sphacteriam captam publice in Prytaneo aleretur. In theatro denuo divellebantur vulnera in comitiis inflicta, parabantur nova neque obliviscendum nihil Athenis fuisse efficacius ad inimicos opprimendos risu jocoque.

Ut vero ad finem properemus: apparet quam caute Comici testes sint audiendi si quaeratur de rebus ad negotia publica pertinentibus vel de viris, qui reip. operam navarunt. Semper et ubique maxima diligentia adhibendi sunt rerum veterum scriptores, quorum si injuria temporum monumenta perierint omnino tenendum Comoediam Antiquam non esse purum et limpidum fontem sed turbidum potius ac lutulentum, ubi quid verum quid falsum sit saepenumero non potest dignosci. Quodsi nonnumquam igitur magno Comoedia ei sit adjumento, qui res gestas Atheniensium explicare nititur, Comicorum quae ad nos pervenerunt reliquiae intelligi non possunt nisi clara Historiae lux affulgeat.

Jam igitur ad hanc normam nonnullas quaestiones quae ad Vesparum fabulam pertinent illustrare conabor.

CAPUT I.

QUO CONSILIO VESPAE SINT COMPOSITAE.

De Aristophanis ingenio ac studiis multi multa scripserunt. Quum nostro praesertim tempore unus et alter ex ejus comoediis locus paullo difficilior a vv. doctt. felicissimo ingenii acumine ita sit illustratus, ut nulla restet dubitandi ratio, tamen multo plura supersunt de quibus ii, qui diligentius in historiam Athenarum inquirunt, litigant etiam et in diversas abeunt partes. Hoc unum tamen apud omnes constat ejus comoediis, si universum spectas, certam quandam inesse mentem indolemque, omnesque eas pertinere ad demonstrandum quid poëtae de tota rep. fuerit judicium. Qui ad hanc lucem de Aristophane disseruerunt, eorum fere huc redit disputatio *).

*) Recte mihi videtur omnino rem perspexisse Bötscher in libro „Aristophanes und sein Zeitalter," etiamsi quid sentiat plerumque verbis obscuris et sesquipedalibus exprimat.

cf. Bernhardy Gr. Lit. II. p. 604 sqq.

sedulo collata, multa docte accurateque excogitaverint perraro tantummodo in Vesparum fabulam inquisitiones constituerint *). Nam scatet haec comoedia locis obscurioribus, qui haud dubie Historiae luce illustrari possunt. Itaque res mihi dignissima visa est quam paullo diligentius explorarem.

Non est quod miremur Aristophanem dedita opera fabulam composuisse qua vitia rei judiciariae in conspectu poneret salseque carperet. Maximi enim momenti in rep. Athen. erant judicia, quippe quae leges in populi comitiis latas tueri deberent, gravissimasque poenas infligere in omnes, qui earum auctoritatem minuere ausi essent. Notum est Aristotelem quoque ea numerare inter tria primaria reip. instituta †). Ut in ceteras reip. partes sic prolapsi in vitia saeculi prava consuetudo in judicia sese insinuarat. Hujus loci non est inquirere quantum ad judiciorum depravationem tribuerit merces judicum a Pericle instituta, postremo a Cleone aucta, dilucide autem apparet Aristophanis temporibus probitatem judicum non ab omni reprehensione fuisse integram mirumque in modum crevisse vesanum litigandi et judicum munere fungendi amorem.

Hoc studium *φιλόδικον* magna ex parte manavit ex illa

---

*) Bernhardy Grundr. der Griech. Litter. II. 2. pag. 655 „Mit diesem Drama hat man viel zu wenig sich beschäftigt."

†) Arist. Pol. II. 11. 1. *"Εστι δὲ τῶν τριῶν τούτων ἓν μέν τι τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, δεύτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχάς, τρίτον δέ τι τὸ δικάζον.*

Rhetorica ars, quae sub initium belli Peloponnesiaci in urbem erat introducta, tamquam contagio in dies latius serpebat *) Aristophanes omnium malorum quibus civitas pessumdaretur causam a pravis publicorum oratorum artibus repetens, quum rhetoricam artem utpote reip. perniciosam devovet et condemnat, tum oratores internecino agitavit odio. †) Saepissime revera in causis tam publicis quam privatis oratoribus contigit *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν*, quantumque, qui novam artem callebant, in concionibus valerent vix est quod moneam.

Quod judicia apud Athenienses ita erant constituta ut multum tribuerent ad plebeculae potestatem augendam, plus etiam quam ille furor dicendi civium in litibus sus-

---

*) Conferatur Valckenarii Diatribes caput XXIII quod inscribitur: de Eloquentiae abusu in Attica Republica.

†) Quanto odio Aristophanes habuerit artem Rhetoricam egregie cernitur in nobilissimo Acharnensium loco vs. 676 ubi senes qui in pugnis navalibus magnam sibi gloriam comparaverant acerbe conqueruntur, quod ludibrio sint adulescentibus imberbibus in rhetorum ludis exercitatis, quibus nullo negotio vincuntur. Senex grandaevus quum multam sibi impositam solvere non possit, flebiliter queritur:

οὗ μ' ἐχρῆν σορὸν πρίασθαι, τοῦτ' ὀφλὼν ἀπέρχομαι.

Chorus igitur jubet cognitiones seorsim fieri ita ut adversum senem senex sit, juvenibus autem opponatur adulescens orator et impudicus.

> *ἀλλ' ἐπειδὴ τοὺς γέροντας οὐκ ἐᾶθ' ὕπνου τυχεῖν,*
> *ψηφίσασθε χωρὶς εἶναι τὰς γραφάς, ὅπως ἂν ᾖ*
> *τῷ γέροντι μὲν γέρων καὶ νωδὸς ὁ ξυνήγορος*
> *τοῖς νέοισι δ' εὐρύπρωκτος καὶ λάλος χὼ Κλεινίου.*

cipiendis cupiditati et insano studio φιληλιαστικῷ favebat. Ex quo Ephialtes omnia fere jura Areopago eripuerat, imprimis omnium magistratuum populique decretorum custodiam, illa omnia ad dicasteria heliastica erant translata. *) Ea igitur de quovis plebiscito dijudicabant quod ὑπωμοσίᾳ improbare aliquis conatus esset; apud ea quoque omnium magistratuum erat δοκιμασία et εὔθυναι. Heliastae porro de quibuslibet rebus leges sancire vel tollere poterant, si quidem qui in nomothetarum collegiis sedebant ex eorum numero desumebantur. Eo accedit quod ab heliastarum judicio provocare non licebat, qui praetera rationibus reddendis non erant obnoxii.

Constat judices Athenienses ad hanc tantam potentiam exercendam non fuisse idoneos. Judicum enim officio fungi amabant senes et pauperes, qui triobolo victum quotidianum sibi suisque parabant:

ἀπὸ γὰρ τούδέ με τοῦ μισθαρίου
τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ ξύλα κἄψον.

quum juniores itemque ditiores, molestias et languorem judiciorum fugerent.

Quo factum est, ut quum judicia tum magna negotiorum

---

*) cf. Plut. Per. q. Cimon 15 Ἐφιάλτου προεστῶτος ἀφείλοντο τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς τὰς κρίσεις πλὴν ὀλίγων ἁπάσας.

Aeschylus acerrimum Areopagi propugnatorem se praebet in Eumenidum tragoedia; cf. vs. 683 sqq.

ἔσται δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἰγείῳ στρατῷ
ἀεὶ δικαστῶν τοῦτο βουλευτήριον
πάγον δ' Ἄρειον (ὄρειον Herm.) τόνδ' κ. τ. λ.

publicorum pars in manu esset τῶν πολλῶν vel potius τῶν δημαγωγῶν, quibus in omnibus rebus populus erat deditus.

In omnibus fere comoediis singulatim Aristophanes illam popularium φιλοδικίαν perstrinxit. Pacis vs. 505.

Hermes Athenienses increpat hisce verbis

οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε.

Euelpides Avium vs. 38 contendit proprium esse Atheniensium rem familiarem litigando perdere:

ἀνεπτόμεσθ' ἐκ τῆς πατρίδος ἀμφοῖν ποδοῖν
αὐτὴν μὲν οὐ μισοῦντ' ἐκείνην τὴν πόλιν
τὸ μὴ οὐ μεγάλην εἶναι φύσει κεὐδαίμονα
καὶ πᾶσι κοινὴν ἐναποτῖσαι χρήματα.

Quos versus recte Scholiasta interpretatur:
Παρ' ὑπόνοιαν ἀντὶ τοῦ ἐμβιῶναι καὶ ἐνοικεῖν εἶπεν ἐναποτῖσαι χρήματα.

In eadem fabula Epops certior factus Athenis peregrinos advenisse statim ex iis quaerit: μῶν ἡλιαστά;

Strepsiades, Socratis discipulo in tabula geographica Athenas ei indicante, exclamat:

τι σὺ λέγεις; οὐ πείθομαι
ἐπεὶ δικαστὰς οὐχ ὁρῶ καθημένους,

quasi vero sine judicibus Athenae fingi non possent.

Non puto pluribus me indigere quibus demonstrem poëtam scribendo fabulam, quae tota versaretur in Atheniensium studium φιλόδικον flagellando, eandem viam esse secutum quam jam ab initio iniisset.

Nunc sequitur ut quam brevissime fieri potest res gestas repetamus, quae ad nostram comoediam pertineant.

Quo tempore Athenienses concupiscere Siciliam coeperint certo designari non potest. *) Plutarchus auctor est Periclem, qua erat prudentia et perspicacitate, semper plebis libidines coercuisse. †) Qui autem post ejus mortem plebi praeerant, neque eximii ingenii viri neque Gorgiae eloquentiae pares, diutius plebeculae voluntati resistere non poterant. Missi sunt igitur a° 427. Laches et Charoiades cum 20 triremibus auxilio Leontinis adversus Syracusanos. Charoiade in proelio oppresso initio a° 425 Pythodorus ut muneris quo Laches fungebatur partes expleret in Siciliam venit. §) Paullo post, adventu Eurymedontis et Sophoclis praetorum, classis Atheniensium 40 navibus aucta est. **) Vel sic tamen, praesertim Hermocrate Syracusano suadente, omnium Siculorum Gelae foedere facto, Atheniensium duces numero navium diffidentes re infecta domum revertuntur. Irati Athenienses, judicio instituto, Pythodorum et Sophoclem in exsilium ejiciunt; Eurymedon pecunia multatus est ut a Siculis corruptus. ††)

---

*) cf. Diod. Sic. XII 54.

†) Pericl. 20 Alc. 47. Thuc. I. 144.

§) Thuc. III. 86.

**) Thuc. III. 115.

††) Etiamsi in praesens consilia Atheniensium ad irritum redacta essent, nequaquam spem Siciliae armis expugnandae deposuerant. Magna enim moliebantur. Sicilia capta, Carthaginem bello subigere in animo habebant, quarum regionum opibus adjuti, ingentem classem comparare totamque Peloponnesum obsidione cingere possent. Quae omnia Alcibiades Lacedaemone exposuit. Ad haec consilia spectat Vesp. vs. 700:

ὅστις πόλεων ἄρχων πλείστων ἀπὸ τοῦ Πόντου μέχρι Σαρδοῦς.

Sardinia illo tempore sub ditione erat Carthaginis, quam urbem nisi prius cepissent Athenienses in illa insula jus dicere non poterant.

Interea Lacedaemonii, ut detrimentum Sphacteriae expugnatae compensarent in Thraciam egregium mittunt imperatorem Brasidam. Cujus et blanda oratione et in re militari peritia factum est ut brevi temporis spatio interjecto, multa earum regionum oppida, antea in ditione Atheniensium, redigerentur sub potestatem Lacedaemoniorum. Etiam Amphipolis Brasidae se tradidit, quam urbem quod non servasset Thucydides Olori filius, qui iis locis classi Atheniensium praeerat, a popularibus missus est in exsilium. Hisce calamitatibus perterriti Athenienses, praesertim cum eodem fere tempore res male gesta esset apud Delium, ad pacem quam ante spreverant inclinare coeperunt. Initio aestatis a° 423 die 14° mensis Elaphebol. igitur inter Lacedaemonios et Athenienses de annuis induтiis convenit.*) Hujus pacis auctor Athenis Laches exstitit.

Brasidas autem condicionibus pacis neglectis retinuit Scionen, quod duobus post foederis sanctionem diebus ultro se ei tradidit, in fidem recepit Menden, impetum fecit in Potidaeam. †) Magna ob hanc perfidiam Athenis orta iracundia Cleo omnium plausu tulit ad populum ut Scione everteretur, incolae trucidarentur. Qui in suspitionem venirent quod cum Lacedaemoniis fecissent eos in jus vocabat. Eodem fere tempore ab eodem Demagogo Laches reus factus est.

---

*) cf. Thuc. IV 117, 118.

†) Diod. Sic. XII. 72 Ἀθηναῖοι δὲ πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδὰς ἐνιαυσίους ἐποιήσαντο κατὰ ταύτας τὰς ὁμολογίας ὥστ' ἔχειν ἑκατέρους ὧν τότε κύριοι καθειστήκεσαν.

Hisce praemissis jam accedamus ad id quod nobis proposuimus scilicet ut ostendamus ultimas istorum dierum res gestas Aristophanen induxisse ut in Vesparum fabula furorem popularium judicialem derideret; simulque e Comoedia nostra nonnulla eruere conemur, quae ad conditionem Athenarum iis temporibus cognoscendam faciant.

Primum omnium affirmare velim multos Vesparum locos pertinere ad eam impugnandam rationem quam in rep. administranda Cleo sequebatur.

Sunt qui contendant Aristophanem post Equitum commissionem non amplius potentissimum Demagogum infestasse. Testem ipsum poëtam prodire jubent de suis studiis Nub. vs 545 ita loquentem:

κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας ἐσφέρων σοφίζομαι
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.
ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' ἐς τὴν γαστέρα,
κοὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐπεμπηδῆσ' αὐτῷ κειμένῳ.

Locus est parabaseos quam Comicus scripsit, quum Nubes scenae iterum committere sibi proposuisset. *) Que-

*) Nub. vs 551 *οὗτοι δ' ὡς ἅπαξ παρέδωκεν λαβὴν Ὑπέρβολος,*
τοῦτον δείλαιον κολετρῶσ' ἀεὶ καὶ τὴν μητέρα. κ. τ. λ.

Mox sequuntur vs 557 cet.

εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον,
ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον,
τὰς εἰκοὺς τῶν ἐγχέλεων τὰς ἐμὰς μιμούμενοι.

V. Cl. Cobet Obss. in Pl. Com. Rel. p. 142 sqq. suspicatur Aristophanem

ritur palmam sibi esse ereptam seque hominibus ineptis succubuisse quia sua inventa, quamquam novitate excellentia non recte intellecta essent; profitetur se Cleoni, in fastigio potentiae posito, ventrem percussisse nec tamen amplius humi jacenti insultavisse, aemulos vero eadem ratione, qua ipse Cleonem in scenam traduxisset, ad satietatem Hyperbolum spectantium risui praebere.

Aristophanes igitur de se ipso praedicat se semel tantummodo Comoediam scripsisse quae tota ad Demagogum sibi inimicissimum lacerandum valeret; poëtas vero aequales perstringit quod identidem argumenta Equitum similia simili modo tractent. Nihil aliud meo quidem sensu ex his versibus elici potest. Neque vero poëtam postquam Equites composuisset Cleoni pepercisse apparet quum ex Nub. vs 572 sqq *) quos utique ante Demagogi mortem scripsit,. tum ex multis Vesparum locis de quibus mox disputabo.

Majores nobis molestias exhibent Vesp. vs. 62/3

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

---

vs. 558 notare Platonem aemulum, qui paullo ante in cognomini fabula Hyperbolum perstrinxerat.

*) *εἶτα τὸν Θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα*
ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγόν, τὰς ὄφρυς συνήγομεν
κἀποιοῦμεν δεινά. βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς.
ἡ σελήνη δ' ἐξέλειπε τὰς ὁδούς. ὁ δ' ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως συνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων
ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον.

Quibus, ut videtur, poëta diserte enunciat, se hanc fabulam non ad Cleonem carpendum scripsisse. Hos versus ita posse explanari ut meae sententiae non repugnent mihi est propositum ostendere in capite sequenti ubi de hoc loco uberius agam; nunc quae antea contendi demonstrare studebo.

Omni tempore Cleo, in hac re Periclis vestigia secutus, extrema belli persequi summa ope nitebatur. Tandem aliquando aerumnis belli longinqui defetigati, Athenienses pacem concupiscere coeperunt; Laches igitur initio a° 423 ad populum tulit et pertulit ut per unius anni spatium quies esset ab armis. Ex hoc facto facile colligas Cleonem minus quam antea tunc valuisse apud populares. Verumtamen simulatque Athenis innotuit Brasidam, jurejurando neglecto, pacem violasse subito animi conversi sunt et Cleo in gratiam apud cives rediit. Confestim populo suasit bellum in Thracia renovare, Scionen delere quemadmodum olim saevierat in Mytilenaeos. *) Ut impediret quominus

---

*) Ad Sciones defectionem Bdelycleon alludit Vesp. vs. 209

νὴ Δί' ἦ μοι κρεῖττον ἦν
τηρεῖν Σκιώνην ἀντὶ τούτου τοῦ πατρός.

Sunt alia quoque in nostram comoediam inserta miserum statum Athenarum probe significantia. Sic Chorus puerum praelucentem increpat quod digito ellychnium lucernae promoveret καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος. vs. 225.

Paullo post Chorus puero qui ficus ab eo rogarat respondet se nullo modo ei posse morem gerere:

ἀπὸ γὰρ τοῦδέ με τοῦ μισθαρίου

cetera Thraciae oppida cum Lacedaemoniis facerent coegit omnes qui Brasidae partibus favissent Athenis causam dicere. Quod commemoratur Vesp. 288 sqq.

„Advenit," ita Chorus Philocleonem alloquitur, ex Thracia homo dives quem damnare oportet.

καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει
τῶν προδόντων τἀπὶ Θρᾴκης
ὃν ὅπως ἐγχυτριεῖς.

Atque etiam in Comoedia quam anno sequenti docuit hanc Cleonis agendi rationem indignatur. Pacis vs. 639. Hermes oratores incusat quod primores sociorum falso crimine oppressos, tamquam canes, divellant *).

τῶν δὲ συμμάχων ἔσειον τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους,
αἰτίας ἂν προστιθέντες, ὡς φρονεῖ τὰ Βρασίδα
εἶτ' ἂν ὑμεῖς τοῦτον ὥσπερ κυνίδι' ἐσπαράττετε.

Postremo adjicit:

ταῦτα δ' ἦν ὁ δρῶν
βυρσοπώλης.

Thraces igitur in jus vocati Cleonis opera damnantur.

τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ ξύλα κὤψον
ἒ ἒ, σὺ δὲ οἴκαδ μ' αἰτεῖς.

Ex his conficere licet quam funestum Atheniensibus fuerit bellum, quum quae pacis temporibus ipsorum agri abunde efferre solebant, nunc magno constarent.

*) Aristophanes nimirum id eo vertit ut arguat Cleonem his judiciis ut rem familiarem augeret, reis pecuniam extorsisse. Revera autem jure ac merito talem rationem iniit. E multis enim Thucydidis locis colligas minorem tantummodo Thraciae civium partem oppida Lacedaemoniis prodidisse. cf. Thuc. IV. 34, 104, 110, 113, 121, 123.

suo ipsius beneficio adhibuisse *). Absolutus autem est testimonio quaestoris omnia praetorem quae acceperat ad milites sublevandos consumsisse affirmantis †).

Ex nostra comoedia efficitur Lachetis causam dijudicatam esse paullo ante quam Vespae scenae committerentur. Quod mihi notatu dignissimum videtur. Exeunte anno 426 Pythodorus ei succedit et pro certo sumere possumus Lachetem paullo post, ut ferebat consuetudo, Athenas se contulisse ut suae *στρατηγίας* rationes redderet. Quod melius haud dubie ei successit quam iis qui post eum in Sicilia summam imperii tenebant, Pythodorus, Eurymedon, Sophocles. Namque statim postquam in patriam redierunt illi damnati sunt ejusdem criminis cujus postea Laches accusabatur.

Hic mihi objici potest Lachetem post reditum im patriam quidem esse accusatum, ejus judicium autem usque ad annum 423 esse protractum.

Huic primum repugnat quod collegae ejus, nulla mora interposita, poena sunt afflicti, deinde Lachetem nondum peculatus criminis absolutum, tantae fuisse auctoritatis, ut pacis suasor exsistere potuerit non crediderim.

---

*) Ne judex Labetem absolvat Xanthias exclamat:

Μὴ νῦν ἀφῆτ' ἔτ' αὐτον, ὡς ὄντ' αὖ πολὺ
κυνῶν ἁπάντων ἄνδρα μονοφαγίστατον,
ὅστις περιπλεύσας τὴν θυῖαν ἐν κύκλῳ
ἐκ τῶν πόλεων τὸ σκῖρον ἐξεδήδοκεν.

†) Vesp. vs. 964 Bdelycleon tali modo radulam alloquitur:

σὺ γὰρ ταμιεύουσ' ἔτυχες.

In hac paroedia radula igitur quaestoris partibus fungitur. cf. Thuc. III. 115.

Itaque haec ferme rei ratio est. Cleo iratus, quod sententia eorum qui pacem bello praeferrent, aliquamdiu in civitate vicisset, suamque ipsius ratus potentiam in periculo fore si tale quid renovaretur, operam dedit ut ejus consilii auctorem, poenam ignominiosam ei infligendo, in perpetuum a negotiis publicis removeret. Quam rem prospere sibi cessuram bonam spem habebat, si quidem omnes, qui in prima illa expeditione Siciliensi classi praefuerant popularium iram experti, damnati essent, non quo gravissima, quae eorum culpam testarentur, argumenta suppeterent, sed quia spes fefellerat Athenienses majora sperantes quam sperare licebat. *)

Avide igitur Cleo hunc praetextum arripuit ut Lachetem in jus vocaret, quo damnato, vulnus acerbum iis infligeretur, qui pace patriae salutem quaerebant.

Hisce omnibus perpensis non est mirandum quod hoc potissimum tempore poëta Atheniensium furorem judicialem perstrinxerit. Judicia praetoribus intentata haud dubie odiosa erant quum Aristophani ipsi tum optimatibus abs quorum partibus stabat; neque minus iis displicebant lites quibus quotidie incolae oppidorum Thraciae terrebantur.

Quaerendum esse mihi visum est, num alia quam quae modo dixi causam Aristophanem movere potuisset ut Lachetis praesertim judicium in risum verteret. Notum est

---

*) Thuc. IV. 65 *αἰτία δ' ἦν ἡ παρὰ λόγον τῶν πλειόνων εὐπραγία αὐτοῖς ὑποτιθεῖσα ἰσχὺν τῆς ἐλπίδος.*

cf. Gilbert Beiträge zur innern Gesch. Athens im Zeitalter des Pel. Kr. p. 196 sqq.

gogo occiso, aliquid auctoritatis sibi vindicare poterat. *) In flamma belli Peloponnesiaci propensa multorum in Lacedaemonios voluntas magis magisque eminere coepit, quod praecipue cernebatur in adolescentibus nobilibus, mores, ornatum vestitumque Spartanorum imitantibus. †) Quum Athenis per nuntios litterasque urbium Thraciae defectio innotuisset, extimescebatur ne nobiles clam cum hostibus facerent Brasidaeque inceptis inservirent. Quid igitur mirum si tunc temporis, animis omnium commotis, per totam urbem ferveret crimen *ξυνωμοσίας*, quod illis diebus nihil aliud significabat nisi *λακωνίζειν*, amicitiam gerere cum patriae hostibus! Facile quoque intelligitur, tali perturbatione rumorem potuisse disseminari de occultis quorundam civium consiliis, qui in animo haberent urbem Lacedaemoniis tradere, quo melius invidiosam illam Pisistrati tyrannidem restituerent.

Quanta Athenis esset orta trepidatio, fabula nostra testatur. Bdelycleo quod patrem a studio judiciali retinere contendit choro Vesparum unus est eorum juvenum qui Lacedaemoniis faverent; senes irati *ξυνωμότην μισόπολιν, κομηταμυνίαν, τυραννικὰ φρονοῦντα* eum increpant; quum vero proponit, rixis et jurgiis omissis, pacem componere vociferantur:

σοὺς λόγους ὦ μισόδημε καὶ μοναρχίας ἐραστά;

---

*) Plut. Nic. 2.
Schol. ad Eq. 1085 de Diopithe annotat: *ἦν δὲ καὶ Νικίου ἑταῖρος.*

†) De Laconismo Atheniensium nobilium cf. de Rep. Athen.

καὶ ξυνὼν Βρασίδᾳ καὶ φορῶν κράσπεδα

στεμμάτων τὴν δ' ὑπήνην ἄκουρον τρέφων;

Tandem aliquando Bdelycleo taedio et ira commotus exclamat:

ὡς ἅπανθ' ὑμῖν τυραννίς ἐστι καὶ ξυνωμόται

queritur etiam in foro audiri:

οὗτος ὀψωνεῖν ἔοιχ' ἄνθρωπος ἐπὶ τυραννίδι.

et si quis porrum petat ad condiendas apuas plerum institrix limis intuens ex eo quaerit:

εἰπέ μοι, γήτειον αἰτεῖς, πότερον ἐπὶ τυραννίδι;

ἢ νομίζεις τὰς Ἀθήνας σοι φέρειν ἡδύσματα;

Tum Xanthias facere non potest quin quid nuperrime sibi acciderit enarret:

κἀμέ γ' ἡ πόρνη χθὲς εἰσελθόντα τῆς μεσημβρίας

ὅτι κελητίσαι 'κέλευον, ὀξυθυμηθεῖσά μοι

ἤρετ' εἰ τὴν Ἱππίου καθίσταμαι τυραννίδα.

Plura talia proferre supersedebo; exempla allata satis corroborant testimonium Thucydidis de his temporibus scribentis: *ἐφοβεῖτο ὁ δῆμος ἀεὶ καὶ πάντα ὑπόπτως ἐλάμβανε* *).

Accedimus ad splendidam fabulae partem in qua Philocleo multam orationem consumit ad judicum Atheniensium potestatem celebrandam, filius vero demonstrat quam nulla ea sint omnia quibus pater superbiae plenus glorietur. —

Bdelycleo ut secum ad placidum verborum ac dispu-

*) Thuc. VI. 13.

tationis certamen descendat patri persuadet, qui jam ratus victoriam sibi esse certam gladium afferri jubet:

ἢν γὰρ ἡττηθῶ λέγων σου περιπεσοῦμαι τῷ ξίφει.

Mox autem subito timore captus ex choro quaerit:

τί γὰρ φάθ' ἡμεῖς ἢν ὁδί με τῷ λόγῳ κρατήσῃ;

At senibus adhortantibus ita loqui incipit:

*καὶ μὴν εὐθύς γ' ἀπὸ βαλβίδων περὶ τῆς ἀρχῆς ἀποδείξω
τῆς ἡμετέρας ὡς οὐδεμιᾶς ἥττων ἐστὶν βασιλείας.*

Fuse et copiose laudat judicandi munus. Vixdum e lectulo ubi surrexit *ἄνδρες μεγάλοι καὶ τετραπήχεις* suam implorant misericordiam; dicasterium ingressus, nihil eorum facit quae pollicitus est, sed delectatur reorum precibus et artificiis quibus judicum animum lenire student. Nimia sui confidentia elatus exclamat:

ἆρ' οὐ μεγάλη τοῦτ' ἔστ' ἀρχὴ καὶ τοῦ πλούτου καταχήνη;

Deinde exponit heliastas ad arbitrium testamenta posse rescindere, quippe qui *ἀνυπεύθυνοι* sint, enarrat et senatum et populum in cognitione alicujus criminis haerentes, reos ad heliastas amandare; gloriatur ipsum Cleonem summa observantia muscas ab iis abigere, Theorumque eo descendere ut eorum calces abstergeat. Sed dulcissimum omnium ei est famosum illud triobolum, propter quod uxor et gnata domum revertentem blande officioseque recipiunt. Quibus omnibus perpensis judex censet suum imperium non inferius esse Jovis regno.

Hac oratione audita summis laudibus Chorus Philocleonem effert, qui magnos spiritus gerens antagonistae minitatur:

ἦ μὴν ἐγώ σε τήμερον σκύτη βλέπειν ποιήσω.

Surgit Bdelycleo, qui in nostra comoedia ut jam ab initio apparet, poëtae personam sustinet. Nullo negotio Aristophanes, quam turpiter Philocleo gravis sui officii partes expleret, quibusque vitiis ac malis judicia laborarent, veluti digito monstrare potuerat. Nihil eorum fecit, jure existimans a Comoediae indole talia prorsus abhorrere, quod ipse Bdelycleonis ore sic significat:

χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς,
ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

Verumtamen sunt quaedam ingenioso poëtae artificio magis conspicua reddita atque in clariore luce posita. Priusquam Philocleo ad dicendum aggreditur filius scrinium sibi afferri jubet ut patris orationis gravissima quaeque annotet. Hoc mihi videtur Aristophanes finxisse ut spectatores erigat quum exspectent haec eum esse refutaturum. Bis Bdelycleo talia sibi scribit μνημόσυνα: primum quum pater summa cum voluptatede iis loquitur, qui se orent et obsecrent ut benigne eos absolvat; deinde quum jactat se optimates contemptui habere. Quum vero judex mentionem injicit de ἐπικλήρου testamento rescisso nihil omnino annotat sed indignabundus exclamat:

τῆς δ' ἐπικλήρου τὴν διαθήκην ἀδικεῖς ἀνακογχυλιάζων.

Clare igitur ea argumenta apparent atque exstant quibus maxime Philocleo, nititur ut demonstret, quanta sua sit potentia. Neque pluribus opus erat ad Philocleonis orationem refellendam. Satis enim acuti ingenii Athenienses erant ut quum vana furiosi judicis jactatione

tum causa canina quae mox sequitur suorum judiciorum vitia perspicerent. Itaque haec omnia Aristophanes missa fecit, ut callida argumentatione usus, indignationem et iram civium moveret adversus praesentem conditionem Heliaeae, quam firmissimum adhuc suae potentiae atque libertatis praesidium duxerant, simulque novum in Demagogos accusationem proferre posset imprimis in Cleonem cui

ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο.

Bdelycleo igitur, ceteris omissis, digitis patri computat summam reip. redituum ex tributis, vectigalibus, 'centesimis, prytaneis, metallis, aliis circiter duo milia talentorum efficere, quorum centum et quinquaginta tantummodo ad annuam mercedem judicum exhiberi. Philocleoni stupide roganti:

καὶ ποῖ τρέπεται δὴ 'πειτα τὰ χρήματα τἄλλα;

ironice respondet:

ἐς τούτους τοὺς οὐχὶ προδώσω τὸν Ἀθηναίων κολοσυρτόν,
ἀλλὰ μαχοῦμαι περὶ τοῦ πλήθους ἀεί'.

Deinde sic pergit: eosdem illos tibi dominos adsciscis, speciosis illorum dictis deceptus; illi vi ab urbibus sociorum extorquent pecuniam muneraque innumerabilia, tibi vero post terra marique exantlatos labores nemo ne caput quidem allii ad condiendos piscaculos praebet. Omnes illi magistratus gerunt, mercedesque accipiunt, tu vero si quis tibi tres obolos porrigat contentus es, et ne eos quidem accipis, si post datum signum veneris, ille autem, qui rei

publicae operam *) dat drachmam accipit etiam si serius venerit. Instillant tibi paullatim ex lanae flocculo mercedem minimam tamquam oleum ad vitam sustentandam. Idque consulto faciunt, pauperem enim te esse volunt, ut cognoscas nutricium, et ut quum iste te instigaverit et tamquam canem immiserit in quempiam inimicorumurociter tu illis insultes. Verumtamen perfacile si vellent, victum praebere populo possent; sunt enim mille urbes quae tributum nobis conferunt, quarum si singulae vicenos cives alerent viginti milia civium viverent *ἐν πᾶσι λαγῴοις*.

Ea fere sunt quae in Bdelycleonis oratione leguntur. Itaque quibus Philocleo magnifice gloriabatur ea ne verbo quidem redarguit, neque revera aliud quidquam pollicitus est nisi se demonstraturum esse patrem turpem servire servitutem. Eo consilio docet Heliastas justo praemio fraudari a Demagogis, qui contra ex magistratibus lucrum capiant sociorumque urbibus tributa excutiant. Contendit de industria Heliastas in humili ac vili conditione

---

*) Vesp. vs. 691 *αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικὸν δραχμήν, κἂν ὕστερος ἔλθῃ*. de Synegoris cf. Schoeman Gr. Alterth. I p. 412, 419, 432.

†) Vesp. 516 Bdelycleo

καταγελώμενος μὲν οὖν
οὐκ ἐπαΐεις ὑπ' ἀνδρῶν, οὓς σὺ μόνον οὐ προσκυνεῖς
ἀλλὰ δουλεύων λέληθας.

Philocleo

παῦε δουλείαν λέγων,
ὅστις ἄρχω τῶν ἁπάντων.

Bdelycleo.

οὐ σύ γ' αλλ' ὑπηρετεῖς κ. τ. λ.

teneri ut magis obnoxii sint Demagogis eorumque inimicos dato signo infestent.

Difficile esset reperire quod majorem invidiam pareret Demagogis; ac profecto Athenienses in theatro sedentes, qui ad hunc usque diem putabant se ad suum arbitrium omnia gerere cum magna sua offensione audiverint necesse est, specie tantummodo se cum potestate versari, at re ipsa a Demagogis duci ut „nervis alienis mobile lignum." Namque omni tempore graviter ea argumenta commovent animos hominum, quae ad rem familiarem et amorem sui spectant.

Hac ratione Aristophanes aperte ostendit, quod injuria praetores et socii accusentur et plerumque damnentur, id se quidem judice populo Atheniensium esse ignoscendum, solis verum Demagogis tribuendum, speciosa oratione cives incitantibus. Praeterea in Demagogos praetoribus litem intendentes, quod pecuniam ad militum usum designatam sibi arripiant, illud ipsum crimen retorquet cum aperte contendit illos impudenter pecuniam publicam furari.

Alio loco eandem repetit accusationem. Senes ex quibus Vesparum Chorus constat, de se praedicant quod fortiter pro aris et focis pugnaverint.

ἡνίκ' ἦλθ' ὁ βάρβαρος,
τῷ καπνῷ τύφων ἅπασαν τὴν πόλιν καὶ πυρπολῶν.

Nec autem tantae virtutis praemium se esse consecutos conqueruntur:

τοιγαροῦν πολ. —

λὰς πόλεις Μήδων ἑλόντες
αἰτιώτατοι φέρεσθαι
τὸν φόρον δεῦρ' ἐσμέν, ὃν κλέ —
πτουσιν οἱ νεώτεροι.

Juniores igitur ἀστράτευτοι ut appellantur vs. 1117 μήτε κώπην μήτε λόγχην μήτε φλύκταιναν λαβόντες tributum sibi arripiunt quod ex aequo et bono strenuis Μαραθωνομάχοις debetur.

Jam transeamus ad parabasis partem Cleoni infestissimam. Libero ut solet ore poëta spectatores perstringit, quod Nubium fabulae praeterito anno doctae praestantiam recte intelligere nesciverint. Profitetur se optime de populo Atheniensi mereri suis comoediis scribendis, negat, quum tantis honoribus elatus fuisset, quanti nemini adhuc sint tributi, credidisse se summum attigisse fastigium vel ulli umquam morem gessisse, honesto usus consilio ne Musas lenas redderet. Neque quam primum comoedias scenae committere coepit, homines se aggressum fuisse sed herculeo impetu monstra se esse adortum quum statim ab initio congressus sit cum illa belua καρχαρόδοντι.

οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,
φώκης δ' ὀσμήν, λαμίας ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.

Eadem in Pace leguntur vs. 755 sqq.; magis etiam hoc notatu dignum his versibus acerrimum et acerbissimum contineri impetum in Cleonem; quod aliquantum a Vesparum consilio abhorret. Ut enim tota hac fabula

Cleonis ejusque similium in rep. administranda ratio graviter impugnatur, ita ea quae in ipsum Cleonem dicuntur lenioris generis sunt dicteria. Est autem opinio Mülleri-Strübingii versus hosce in Pace tantum suum locum obtinere, sed scriptorem quendam, eorum vim et gravitatem admiratum, a se impetrare non potuisse quin eos in Vespas transferret, iisque alium quendam, sed mitiorem, in Cleonem impetum cedere juberet. *) Non est veri dissimile ita rem se habere, quamquam nihil certi statui potest. Nam quod M. S. affert argumentum, tempora Imperfecta (*ἔλαμπον*, *ἐλιχμῶντο*, *εἶχε*) non nisi in mortuum convenire, in eo vir ceteroquin acutissimus a scopo aberrasse videtur. Neque enim secundum eam normam, quam Grammatici consecutionem temporum appellant, alio quam Imperf. tempore poëtae uti licebat (*ἐπεχείρει — ξυστὰς τῷ καρχαρόδοντι — οὗ — ἔλαμπον. κ τ. λ.*) et de aliis quoque quos impugnavit inimicis idem tempus adhibet:

Φησίν τε μετ' αὐτὸν
τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν
οἳ τοὺς πατέρας τ' ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον.

Nam hercle nondum evanuerat genus eorum, qui secundum poëtam prava Sophistarum doctrina corrupti ab antiqua et pristina virtute degenerassent. —

Finem faciamus in loco eximio quem totum exscribam, vs. 1284 sqq.

---

*) Müller-Strübing: Aristophanes und die historische Kritik. 1873 p. 171.

εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις ἔκνισε, κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην
ἐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι
σκωμμάτιον εἴποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Manifeste hi versus spectant ad molestias Aristophani a Cleone exhibitas. De quibus inquiramus.

Post Babylonios actam Cleo injurias sibi, ut opinabatur, illatas summo ulcisci studuit fervore; poëtam igitur in jus vocavit. Cujus causae si non accuratam, certam tamen notitiam ab Aristophane ipso accepimus. Acharn. vs. 377 sqq. profitetur se propter comoediam praeterito anno editam a Cleone falsis criminibus circumventum in senatum esse protractum et minimum abfuisse quin periret.

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον.
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν
εἰσελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

Ex vs. 503 sqq. apparet summam rei in eo fuisse positam quod peregrinis hominibus praesentibus et spectantibus urbem proscindere ausus esset, denique in pa-

rabasi vs. 630 enuntiat se falsis criminibus esse insimulatum. *)

Ad Acharn. 371 Schol. annotat: *καὶ διὰ τοῦτο (ὅτι ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις ἐκωμῴδησε τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα παρόντων τῶν ξένων) ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα.* E quibus conjicere licet cujusmodi illa accusatio fuerit; quum enim paullo negligentius Scholiasta scripserit *ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας* designare haud dubie voluit *γραφὴν ἀδικίας πρὸς τὸν δῆμον* qua si reus condemnaretur, in eum supplicium capitale bonorumque confiscatio statuebatur. Aristophanes aegre absolutus est: *ὥστ' ὀλίγου πάνυ ἀπωλόμην.* †)

Nostro loco poëta fatetur se multis spectantibus a Cleone male esse tractatum. Sunt qui nimium verbis inhaerentes ex illud *ἀπεδειρόμην* elicere voluerint Aristophanem a Cleone in ipso theatro verberibus fuisse pulsum, quod minime est veri simile. §) Magis mihi placet Bergkii

---

*) Acharn. vs. 503 *οὐ γάρ νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι*
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.

Acharn. vs. 630 *διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις*
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει κ. τ. λ.

†) cf. Schol ad Acharn. 503.
cf. Meier u Schoemann. Der att Process 346.

§) Bode Gesch d. Griech. Poesie 228.

sententia demonstrantis de accusatione potius esse cogitandum. *)

Etiamsi qui exposuit de Vita Aristophanis ap. Meineke IV docet ter Comicum a Cleone reum esse factum, ego potius Aristophanem ipsum ducem sequar, qui in comoediis duas tantummodo accusationes sibi intentatas commemorat. Etenim non multum fidei tribuendum videtur hujus Vitae scriptori confuse hac de re disserenti, quum praeterea difficile sit indicare quo tempore tertia illa accusatio accidere potuerit.

Primum, quemadmodum demonstravimus, Demagogus Aristophanem in jus vocavit post Babylonios doctam, iterum post commissionem Equitum; quoniam autem Schol. ad Ach. 378, postquam de prima accusatione exposuit, adjicit *καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν* ad hanc litem locus noster necessario pertinet.

Acerbe Aristophanes queritur multos adfuisse quum a Cleone vexaretur, quorum nemini in mentem venerit auxilium male mulcato ferre, omnes contra avide exspectabant num jocos et sales funderet quibus ex tanta difficultate se expediret. Neque si fides Scholiastae habenda est, spectatores spes fefellit quum ad se ipsum referret sententiolam quam graviter apud Homerum emittit Telemachus:

μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε

---

*) Bergk ap. Mein. II p. 937. Fritzsche: de Injuriis Aristophani a Cleone illatis. K. Hermann Progymn. I. 6 in diversas sententias abeunt.

οὐκ οἶδ' οὐ γὰρ πώ τις ἐὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Iratus quod ii propter quos tale periculum suscepisset non solum se deseruissent, sed insuper delectati essent jocis, necessitate sibi expressis, a vetere consilio paullum se recessisse confitetur „*ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα*" quo facto nonnullis popularium visus est cum Cleone in gratiam rediisse.

Ranke in Vita Arist. ap. Mein. 25 contendit Aristophanem his versibus perhibere se Cleoni blandiri coepisse in comoedia hunc ad finem composita; quam comoediam Agricolas fuisse conjicit, quum post Equites ante Vespas doctas scenae sit commissa nec quantum ex fragmento intelligatur Cleonem exagitaverit.

In primo autem hujus comoediae fragmento ap. Dind. 157, qua pacem commendavit Nicias, perstringitur quod ultro provinciam projecisset atque inimico praebuisset, quod certe non dictum est ad Cleonem permulcendum neque video quomodo Aristophanes a se impetrare potuerit ut tali adversario blandiretur. Ego potius crediderim Aristophanem sibi visum esse invidioso inimico *πιθηκίζειν* quum abstineret acerbis, ut consuerat, jocis eum adspergere. Quandoquidem in Nubibus Cleonem non lacessivit — constat enim quae contumeliose in Demagogum dicta sint ad primam hujus fabulae recensionem non pertinere — se in hac fabula ab armis discessisse poëta mihi significare videtur.

Postremo hilare exclamat: *εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.*

Nunc autem ridica delusit vitem. Quem versum Schol ita interpretatur: Παροιμία ὅταν ὑπὸ τοῦ σωζομένου τὸ σῶζον ἀπατηθῇ, ἢ ὅταν ἐξαπατηθῇ τις πιστεύσας. ἔστιν οὖν παροιμία ἀπὸ τῶν καλάμων τῶν προσδεσμουμένων ταῖς ἀμπέλοις, αἳ ἐνίοτε ῥιζοβολήσαντες ὑπεραύξονται τῶν ἀμπέλων. Itaque hic fere hujus versus sensus est: Cleo arbitratus est, quo tutus essem ab ejus injuriis, me non amplius se esse exagitaturum; nunc vero specie falsa abjecta ad veterem consuetudinem reverti, hominemque, in hac ipsa fabula eum irridendo, praeter exspectationem decepi.

Nugatus est Scholiasta quum suo Marte hos versus explicare conatus addiderit: νυνὶ δὲ ἠπάτησα ὑπὲρ τοῦ ποιῆσαι λέγεσθαι τὰς κωμῳδίας ἐπὶ τῷ θεάτρῳ εἰσάγεσθαι ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον. Ante multos annos v. cl. Cobet Observ. in Pl. Com. Rel. ad liquidum perduxit numquam Cleonem legem tulisse qua Comoediae licentiam coerceret.

Expositis igitur quam diligentissime potui, quae ad nostrum argumentum facere videbantur, paucis singula comprehendam.

Aristophanis erat, acerrimi Democratiae adversarii antiquorumque institutorum amatoris, Comoediam componere, quae immoderatum popularium amorem litigandi et stolidum φιληλιαστικὸν studium perstringeret. Neque ad talem fabulam docendam poëta, qui semper respexit ad ea quae nuperrime in civitate gesta essent, meliorem opportunitatem poterat eligere quam A°. 422, quo fervebant judicia in optimates et optimatium ami-

Nihil hoc conservi exclamatione turbatus, Sosias narrat se postea in somnio vidisse Theorum, quem ambo tamquem adulatorem Cleonis derident; denique Xanthias argumenti Comoediae, quam sunt acturi, spectatores certiores facit.

Olim arbitrabantur hi versus nihil aliud continere nisi facetum et ridiculum introitum quo solito poëtae more avaritia pecuniaeque coriarii cupiditas perstringeretur. Alii contra contendunt Aristophanem Cleonem, cujus gratia atque auctoritas in civitate evanescere coeperant, socios suos atque amicos ponderantem, finxisse. *) Nuperrime autem demonstratum est multo graviorem significationem hisce versibus inesse; quod ipse poëta indicat quum Sosiam de suo somnio dicentem facit:

ἀλλ' ἐστὶν μέγα
περὶ τῆς πόλεως γάρ ἐστι τοῦ σκάφους ὅλου.

Primus quod sciam Müller — Strübing in libro multis nominibus laudando „Aristophanes und die historische Kritik" nostro loco lumen adhibuit ingeniose demonstrans hos versus infestissimos esse consilio quo in rep. administranda nullum Cleoni fuit carius: tributi bellici populo Atheniensi imperandi. —

Quum Pericles inter Athenienses in fastigio erat auctoritatis, pacis temporibus quadringena talenta ad omnes reip. sumptus sufficere solebant; qui numerus augebatur usque ad 1000 talenta iis annis, quibus Athenienses

*) Richter in sua Vesparum editione p. 183.

aedificiis publicis struendis festisque celebrandis magnos sumptus impendebant. Reditus civitatis tributis sociorum annumeratis erant mille trecentorum talentorum; postea, A°. 437 tributis auctis, duorum milium talentorum. Ratio igitur annui accepti multo expensum excedebat, quo factum est ut, Bello Peloponnesiaco exorto, Athenienses circumfluerent omnibus copiis. Re non ita feliciter gesta, diuturnique belli sumptibus civitatis exhaustis opibus, nova ad inopiam publicam sublevandam Athenienses consilia ceperunt, quum modo ex aerario in alicujus dei deaeve templo, praesertim autem Minervae, pecuniam mutuarentur, modo cives et metoeci, ultro pecunia collecta, afflictae patriae opitulari conarentur (*ἐπιδόσεις*). Nonnumquam civibus imperatum est tributum bellicum (*εἰσφορά*) quod, qui in tres primas classes recensebantur, solvere debebant. Primum *ἡ εἰσφορά* commemoratur apud Thuc. III 19, e quo loco recte videtur Boeckh colligere illud *ἐσενεγκόντες τότε πρῶτον ἐσφοράν* non solum referendum ad Bellum Pel. sed hoc esse primum exemplum tributi civibus impositi, ex quo commune aerarium Athenas esset translatum. *) Illa prima utique *εἰσφορά* in Bello Pel. populo imposita est ut ingentibus subveniretur sumptibus, defectione Mytilenaeorum effectis. Veri simillimum est Cleonis

*) Boeckh Staatsh. I 619.

Thuc. III. 19 *Προσδεόμενοι δὲ οἱ Ἀθηναῖοι χρημάτων ἐς τὴν πολιορκίαν καὶ αὐτοὶ ἐσενεγκόντες τότε πρῶτον ἐσφορὰν διακόσια τάλαντα ἐξέπεμψαν καὶ ἐπὶ τοὺς ξυμμάχους ἀργυρολόγους ναῦς δώδεκα κ. τ. λ.*

opera illud consilium valuisse quippe qui eo jam tempore multum apud populares posset: ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος. Thuc. III. 36. —

Si quem autem mirari subit quomodo Demagogus talem rationem commendare potuerit, reputet velim, quales illi fuerint cives, qui maxime hoc tributo gravabantur. Nempe οἱ ὀλίγοι, οἱ πλουσιώτεροι quum ii qui Cleoni faverent τὸ πλῆθος, οἱ πολλοί quartae classi annumerati, hujus oneris essent immunes. Nihil igitur impedit quominus Cleo hanc legem ad populum tulerit pertuleritque.

Constat frequentissime exinde cives Athenienses coactos fuisse τὴν εἰσφοράν pendere. Nullum tamen habemus testimonium quod, quibus annis imperata sit, certissime nobis exhibeat; A° 422 Cleonem in animo habuisse tributum bellicum Atheniensibus imponere Vesparum initium certis monstrat indiciis.

Facili negotio intelligitur illa, quae Sosias in somnio vidit πρόβατα, ἐκκλησιάζοντα βακτηρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια cives esse Athenienses, ornatu et vestitu patrum ita a poëta fictos, quod προβατωδῶς mansueti sint et deditícii Cleonis. Neque quem in hoc somnio κάκιστον ὄζοντα βύρσης σαπρᾶς, poeta illa velit significare balaena omnivora voce suis incensae praedita, cuiquam potest esse obscurum. Est Cleo trutinam in manu tenens ut populum possit διιστάναι i. e. pendendo secernere; cives igitur in duas classes dividit, divites et pauperes, ut accurata disquisitione habita, divitiores εἰσφοράν pendant. Vocabulum διιστάναι hoc

significatione esse usitatum docet Dion Hal. p. 1791 διιστάναι τοὺς πένητας ἀπὸ τῶν εὐπόρων.

Duos lubet locos, quos e Lysia exprompsi, apponere e quibus efficitur quod ad tributum bellicum attinet populum in duas partes dividi solere, in divites et pauperes Legitur Lys. XXII. 13 Δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι, εἰ, ὅταν μὲν εἰσφορὰν εἰσενεγκεῖν δέῃ, ἣν πάντες εἴσεσθαι μέλλουσιν, οὐκ ἐθέλουσιν, ἀλλὰ πενίαν προφασίζονται κ. τ. λ. i. e. perhibent se ejus esse populi partis qui tributi bellici sit immunis.

Apud eundem XXVII. 10 invenitur: ὥσθ' οἱ πρότερον ἐν τῇ εἰρήνῃ οὐδὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐδύναντο τρέφειν νῦν ὑμῖν εἰσφορὰν εἰσφέρουσι καὶ χορηγοῦσι καὶ οἰκίας μεγάλας οἰκοῦσι cet. quae verba satis demonstrant divitibus tantummodo tributum bellicum fuisse pendendum. Praeterea apparet Demagogos nullo suo periculo τὴν εἰσφοράν posse instituere, quum pauperioribus parcat, iis autem molestias exhibeat, qui in magnis habitant domibus et choragii munus suscipere debent. —

Non attinet comemorare quanta luce Aristophanis locus sic intellectus splendeat, multamque laudem viri felicis ingenii invento tribuo; sed non facile inducar ut credam, quae postea de tributo bellico exponit. Ab argumento hujus scriptionis haud alienum duco breviter quae Müller-Strübing suspicatur exhibere, ut deinde subjungam, quae quominus eum sequar impediunt.

Contendit enim, ut sumptibus bello contractis resp. sufficeret, Cleonis circiter hieme anni 425 valuisse consilium ut per quattuor proximos annos Atheniensibus

εἰσφορά esset pendenda. Quam ad opinionem comprobandam hisce utitur argumentis.

Eq. vs 422 Cleo minitatur se operam esse daturum, ut isiciarius inter divites censeatur tributumque pendere cogatur.

Δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην,
ἰπούμενος ταῖς ἐσφοραῖς.
ἐγὼ γὰρ ἐς τοὺς πλουσίους
σπεύσω σ' ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.

Ridiculum esset si Cleo hoc loco adversario minas intentaret, quae peragere non posset; tunc temporis igitur Athenis τὴν εἰσφοράν viguisse necesse est. Quod in tota Equitum fabula nostro solummodo loco Aristophanes tributum bellicum perstringit neque id vehementer, suspicionem movet civium ob inauditam novitatem iram jam deferbuisse.

Novum argumentum praebet fragmentum Eupolidis Comoediae, quae inscribitur χρυσοῦν γένος.

Ἔπειθ' ὁ κουρεὺς τὰς μαχαιρίδας λαβὼν
ὑπὸ τῆς ὑπήνης κατακερεῖ τὴν εἰσφοράν. *)

Postquam vir doctus acute demonstravit, tonsorem esse Cleonem a populo tributum exigentem, ita pergit p. 165:

Eo autem tempore mihi persuadeo Cleonem rogationem de tributo bellico, de quo Eupolis ut de re infecta adhuc et futuro periculo loquitur — κατακερεῖ — iterum pertulisse. Idque non ita ut tributum bellicum semel tantum

*) Meineke Hist. Crit. II. 539.

civibus imperaretur, sed ut ea rogatio valeret quamdiu cum hostibus res esset gerenda; atque hoc illius tributi consilium fuisse veri simile puto, ut ex eo aliqua saltem pars pecuniarum bello necessariarum quaereretur, neve soli socii majoribus tributis impositis aerario laboranti subvenire deberent.

Mihi tamen nondum haec viri eruditi ratio probatur. Sedulo Athenis lege cautum erat ne quis facile in commitiis proponeret, ut civibus tributum imperaretur; neque enim antiqui magis quam qui hodie vivimus libenter vectigalia solvere solebant. Primum omnium qui ut tributum bellicum imperaretur suadere vellet, a populo impetrare debebat ut impune talem legem ferre posset, quam ad rem opus erat sex milibus suffragiorum *).

Si igitur molestum esset Athenienses eo perducere

---

*) Quod patet ex decreto nobis servato de pecuniis sacris administrandis: Corp. Inscript. Att. 32 ἐς (ἄλλ)ο δὲ μηδὲν χρῆσθα (ιτοῖς χρήμασιν, ἐὰν μὴ(τ)ὴν ἄδειαν ψηφ(ίσηται ὁ) δῆμος κα(θ)άπ(ερ) ἐ)ὰν ἡ σκέψις ἢ περὶ ἐσφ)ορᾶς. ἐὰν δὲ τις(εἴπῃ ἢ) ἐπιψηφίσῃ μὴ ἐ(ψηφισμένης πω τῆς ἀδε ίας χρῆσθαι το(ῖς χρήμ)ασι τοῖς τῆς Ἀθην(αίας ἐνεχέσθω τοῖς αὐ)τοῖς οἷσπερ ἐά(ν τι ἄλλο) φέρειν εἴ(π)ῃ ἢ ἐπι(ψηφίσῃ.

Pecuniis in aliud uti non licet nisi populus hujus rei impunitatem concesserit — i. e. ei qui tulerit in aliud pecuniis uti — eodem modo ac si tributum bellicum instaret. Si quis autem ad populum tulerit ex Minervae aerario haurire, vel de tali rogatione populum inire suffragium jusserit, nisi impunitas ei sit concessa, eisdem poenis sit obnoxius ac si quis de tributo bellico imperando ad populum tulerit vel populum inire suffragium jusserit. cf. Boeckh Staatsh. d. Ath. 1. 354 sqq.

ut semel tantummodo ex suis opibus inopiam publicam sublevarent, nonne magnum inauditumque esset factum, eos concessisse in incertum, quoad cum Lacedaemoniis bellum gererent, tributum invidiosum solvere? Quodsi haec Cleonis ratio valuisset nonne mirum esset et Thucydidem et Plutarchum silentio eam praeteriisse? Confirmare profecto possumus utrumque auctorem nusquam eam commemorasse. Praeterea qui fieri posset ut Comici negligerent iram eorum, a quibus stabant, quique tali legi maxime premebantur, cum acerbissimis conviciis proloqui? Locus ex Equitibus allatus argumentationi viri docti veri speciem praebet. Sed quid ex his versibus colligi potest nisi eo anno quo Equites committerentur Atheniensibus tributum esse impositum.

Revera rem ita sese habere affirmare ausim *), quamquam hujus consilii nulla alia ratio reperiri potest nisi inopia pecuniae publicae; nam improvisa quaedam calamitas qualis A°. 428 defectione Mytilenaeorum Atheniensibus accidit nobis non innotuit. Ceterum Athenienses non tam fuisse patriae amantissimos, ut libenter belli onera soli sustentarent, inde confici potest quod A°. $42^{5}/_{24}$ tributo sociorum altera parte sint aucta. †). Mag-

*) cf. Boeckh Staatsh. I. 620 Nach jener ersten Erhebung scheint indess die Vermögensteuer schnell nach einander wiederholt zu sein, da Aristophanes schon Olymp. 88. 4 (Eq. vs. 922) davon als von einer gewöhnlichen Sache redet.

†) Quod ex inscriptionibus nuper repertis exprompsit Ulrich Köhler et in libro: „Urk. u Unters. z. Gesch. d. del.-att. Bundes" p. 150 sqq. dilucide exposuit:

ni haec res est momenti ad nostram quaestionem dijudicandam, quum minime veri simile videatur Athenienses uno et eodem tempore et sociorum tributa auxisse et sibi ipsis τὴν εἰσφορὰν imposuisse. Neque tamen illud factum M. S. tanti facit, ut suam opinionem abjiciat. —

Quod attinet ad locum Eupolidis Comoediae, antequam eo argumento utaris, sciri oportet quo anno ea fabula acta sit. Meineke Hist. Crit. p. 145 nihil statuit nisi eam esse scriptam ante mortem Cleonis; Bergk Comment. 361 censet nullo alio tempore Eupolidem talem comoediam potuisse committere quam statim post celeberrimam illam in Sphacteriam expeditionem; M. S. denique existimat ad annum 425 eam esse referendam.

Non igitur inter eos de certo anno constat, neque is, me judice, e fragmentis nobis servatis extricari potest. Hoc unum tantummodo certum est et exploratum, spatium quo fabula potuerit doceri circumseptum esse annis 427 et 422. Quamobrem non video quid obstet quominus statuamus Eupolidem suam comoediam docuisse A°. 427, eo tempore quo primum, ut supra ostendi, Cleonis opera ἡ εἰσφορά civibus est imposita ad sumptus expeditionis in Mytilenaeos compensandos. Poëtam hac fabula Demagogi consilium derisisse et aetatem a Cleone Atheniensibus paratam per ironiam appellavisse χρυσοῦν γένος arbitror.

Sed fac A°. 426 Demagogorum studio esse effectum ut Athenienses per totum bellum, vel saltem per quattuor proximos annos, tributum pendere cogerentur, optimatesque omnem jam iram et indignationem deposuisse, ut

obiter tantum in Equitibus Aristophanes hoc consilium perstringeret, qui idem poëta biennio post, Vesparum initio, data opera eidem consilio acriter repugnare poterat? Haudquaquam profecto erat Aristophanis justam occasionem praetermittere, ut sero eam revocare cogeretur.

Ego potius sic habeo. Post Thraciae oppidorum defectionem Athenienses irati constituerunt omni ope atque opera bellum persequi, quod ut strenue ageretur, Cleonis facili negotio vicit sententia, ut ἡ εἰσφορὰ, ceteroquin invidiosissima, exigeretur. Aristophanes facere non poterat quin aspere notaret inimicissimi consilium, quod eo tempore quo Vespae agebantur nondum valuit ut patet ex vs.

τὸν δῆμον ἡμῶν βούλεται διιστάναι.

Somnio Sosiae enarrato, Xanthias ad spectatores se convertit, ut iis argumentum exponat fabulae, quam histriones acturi sunt. Initium facit nonnulla enumerando, quae a comoediae argumento prorsus sunt aliena:

ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ Φορμίδος
δούλῳ διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὐθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης.
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Ex ultimis versibus Müller—Strübing elicuit Aristophanem negare se in nostra comoedia Cleonem exagitaturum esse. Quod non quadrat cum optima interpretatione qua superiora illustravit. Ex hac difficultate ut se

expediat, suspicatur Aristophanem primum quidem in animo habuisse Demagogum non amplius lacessere, postea vero, comoedia prope ad finem perducta, consilium mutasse et initium quod habemus addidisse.

Hac explicatione mihi videtur non esse acquiescendum. Quid? Poëta tanta ubertate ingenii praeditus, etiamsi temporis angustiis circumscriptus fuerit, hos versus praecedentibus plane repugnantes ita mutare non potuisset, ut cum ceteris bene cohaererent? Facili utique negotio exiguam particulam, hujus loci sensum plane perturbantem, tollere potuerat.

Verum enim vero nimis absurdus esset, qui postquam inimicum probe perstrinxerat, disertis verbis spectatoribus enunciaret, se illum hominem non esse exagitaturum.

Praeterea licet M. S. affirmet Vesparum locos ad Cleonem pertinentes nihil continere nisi facetias mansuetas et innoxias, si quis meam in cap. I argumentationem speciem veri habere concedet, ad sententiam contrariam se convertet. Itaque videamus an alio modo nostro loco subvenire possimus.

Prioribus versibus Aristophanes perstringit poëtas aequales, qui sterili ingenio eadem semper argumenta ad fastidium decantent. Illo tamen: neque rursus eundem hominem contundemus — *μυττωτεύσομεν* — aperte ad suam ipsius fabulam Equites alludit, quum nusquam alia comoedia commemoretur, quae tota in Cleonis irrisione versetur.

Haec nobis viam monstrant ad nostros versus recte intelligendos. Vocem *μυττωτεύειν* Scholiasta explicat per

ut in senatum reciperentur, qua dignitate potiti, multum poterant quum in ceteris negotiis publicis gerendis, tum maxime in rebus pecuniariis administrandis. Demagogorum quoque erat instituta Democratiae propitia integra servare, eorumque inimicos in jus traducere. Omnes cives Athenienses, qui reip. leges violaret reum agere poterat; si quis autem ad hoc officium gerendum minus idoneus visus esset, ad accusationem sustentandam a civibus in comitio ei *συνήγορος* auxilio addebatur. In rebus gravioribus plures *συνήγοροι* solebant eligi. *)

Eo fere redit dispntatio eorum, qui ut M. Strubingi conjecturam ad lapidem Lydium exigerent, operam dederunt. Quum vero nemo adhuc, quod ego quidem sciam, in ea

---

*) Comici omnibus opibus atque viribus psephismatorum abusu repugnaverunt. Arist. in prima Comoedia in malım rem ea abire jussit. Daet. ap. Mein. 2. 1039. In Equitum fine Demus, qui ad meliorem frugem se convertit, enuntiat in posterum se omnes juvenes venatum ablegaturum esse *παυσαμένους ψηφισμάτων*.

Nubium vs. 1428 Phidippides nullum omnino discrimen interesse censet inter gallos et Athenienses, nisi quod illi *ψηφίσματα* non perscribant:

καίτοι τι διαφέρουσιν
ἡμῶν ἐκεῖνοι, πλὴν ὅτι ψηφίσματ' οὐ γράφουσιν;

Egregie Athenarum illis temporibus statum describit Eurip. Ion. vs. 598 sqq.

ὅσοι δὲ χρηστοὶ δυνάμενοί τ' εἶναι σοφοὶ
σιγῶσι κ'ου σπεύδουσιν ἐς τὰ πράγματα,
γέλωτ' ἐν αὐτοῖς μωρίαν τε λήψομαι
οὐχ ἡσυχάζων ἐν πόλει ψόφου πλεᾳ
τῶν δ'αὖ λογίων τε χρωμένων τε τῇ πόλει
ἐς αξίωμα βὰς, πλέον φρουρήσομαι
ψήφοισιν.

quae de Vesparum fabula exposuit accurate inquisiverit, nisi quae in superioribus commemoravi excipias, in hoc libello ad ejus de nostra Comoedia opiniones diligenter respexi. Quid mihi cum eo conveniret quid discreparem, ne taedium moverem, interdum indicare praetermisi; facile autem perspiciet benevolus lector, si operae pretium ei videtur cum Strubingi sententiis meas comparare, plerumque me ab eo dissentire. Suae opinionis amore captus v. d. multa inconsiderate contendit vel conjecit, quae eum ipsum non fefellissent ni argumento servire voluisset.

Attamen, quam semel receperit rationem, tanto fervore tantaque eruditione defendit, ut, ante librum e manibus deponere nequeas, quam totum perlegeris. Abundat enim novis observationibus verissimis, quarum primae Vesparum scenae explicatio ante ceteras est laudanda. —

CAPUT III.

DE FABULAE EXITU. VARIAE.

Notum est Vesparum Comoediam constare ex duabus partibus, quarum altera cum prima multo festiviore parum cohaereat. *)

Etsi enim, Labete absoluto, ad eum finem perducta est actio, ut nihil amplius dicas desiderari, complures tamen subjunguntur scenae, a Comoediae argumento ita alienae, ut prioribus prorsus neglectis, facile intelligantur.

Racine ejus se fuisse sententiae probavit, suae Vesparum imitationi „les Plaideurs" finem imponendo post judicium caninum peractum.

Ceterum ex omni fere parte, me judice, poëta gallicus deficit ad exemplar, quod sibi proposuerat. Recte de imitationis argumento E. Deschanel: „Etudes sur Aristophane" p 176. „C'est cette vigoureuse satire sociale (les Guêpes) que Racine a réduite aux proportions d'une jolie satire littéraire dans sa comédie des Plaideurs, en substituant la manie d'un seul homme à la manie de tout un peuple, ou plutôt une carricature de fantaisie à la critique d'une institution publique.

Alii arbitrantur Aristophanem hoc additamento ostendere voluisse quantum Philocleo, amore judicandi deposito, sit mutatus, quum qui antea leges custodiverit, nunc eas violare non vereatur. Alii docent nostram Comoediam ex altera parte Nubibus respondere. Castigantur in Nubibus mores juvenum Atheniensium, paterque cum magno suo dolore videt quantum filius profecerit; in Vespis seniorum vitia poëta perstringit paterque iis ipsis artibus filium ludibrio habet, quibus ab eo est institutus.

Nihil horum crediderim.

Temere et fortuito accidisse puto, ut harum Comoediarum' exitus in contraria abeant, Aristophanemque talem Vespis finem addidisse ut joculare quid agendo, in Dionysiorum laetitia Atheniensium voluntati serviret.

Jam haec mitto. Mihi propositum est ostendere in altera Vesparum parte plura inesse, quae legentem offendant.

Post Chori parabasin sequitur scena ridicula. Bdelycleo patrem secum apud amicum coenaturum urget, ut pro vetusto pallio et calceis usu tritis, laenam induat pretiosam et baxeas Laconicas. Quum autem Philocleo, ut detestabile deponat *τριβώνιον* nullo modo moveri potest, filius ei novam vestem injicit et *ἐμβάδας Λακωνικὰς ὑποδύειν* eum cogit, senis querela, quod unus digitorum sit *μισολάκων*, nihil moratus. Tandem Philocleo opulentis indutus vestimentis, filii jussu cum molli et delicato corporis motu incedit multisque ab eo praeceptis instruitur ut urbane in convivio se gerat et *λόγους σεμνοὺς λέγειν* sciat. Quibus omnibus peractis impatiens morae senex exclamat:

ἄγε νυν ἴωμεν μηδὲν ἡμᾶς ἰσχέτω

et cum filio a scena discedit.

Sequitur Chori canticum, quo ad finem perducto, accurrit Xanthias beatas praedicans testudines ob firmum in lateribus tectum, quum a Philocleone, furore quodam et insania correpto, verberibus caesus sit. Servus flebili voce enarrat senem omnes convivas rusticis contumeliis insectatum esse, nunc autem inebriatum domum se conferre. Revera in scenam proruit homo temulentus tibicinam, convivis ereptam secum ducens, lepideque irridet filium qui puellam abducere cupit.

Advenit panaria quaedam, pessime a Philocleone habita, quippe quam taeda pulsaverit, cujusque panes in lutum conjecerit. Minime permotus iratae mulieris minis, fabulam Aesopi narrando eam placare et domum ablegare conatur. Eodem modo ludibrio habet accusatorem publicum, qui injuriarum eum se postulaturum declarat et vix Bdelycleoni contingit ut hominem temulentum abducat.

Quum hoc loco commode poëta aliquo modo finem Comoediae imponere potuisset, brevi Chori Cantico interposito, iterum Xanthiam in scenam prodire jubet eadem atque antea narrantem, hac tantum mutatione facta, ut nunc Philocleo correptus sit furore saltandi. Hisce expositis denuo senex apparet, omnesque qui secum saltando certent provocat. Prosiliunt filii Carcini cum velocitate cancrorum brachiis pedibusque auram moventes et sic effusa laetitia et hilaritate Comoedia absolvitur.

Habemus igitur duas scenas, inter sese simillimas, invicem se excipientes, quarum secunda, nescio quid molestiae ac fastidii lectori ad finem properanti affert. Haec similitudo eo plus etiam habet offensionis, si quis secum reputet, quanta in ceteris fabulis arte omnia ab Aristophane argumenta varientur, quantumque inveniendarum rerum copia Noster floreat.

Inter has scenas legitur Canticum, quo chorus laudat fortunam Philocleonis, qui ex squalida vivendi ratione alia jam pro illis edoctus, ad meliora se conversurus sit et *μέγα τι μεταπεσεῖται*. Statim autem subjicit, fortasse senem, quum difficile sit mores quibus semper quis fuerit mutare, a vetere consuetudine recedere nolle. Deinde magnis laudibus celebratur Bdelycleo ob suam erga patrem pietatem et insignem sollertiam quam in certamine de judiciis exhibuerit. *)

Quid hoc loco tale sibi velit canticum obscurum est, quum minime jam incertum sit in quam partem Philocleo sit abiturus. Satis enim ostendit vehementer sibi placere rationem vitae a vetere prorsus abhorrentem. Nostrum Canticum igitur sedem qua nunc legitur injuria occupare satis liquet.

Video ante paucos annos in easdem observationes incidisse v. d. Stanger, †) qui ad hanc Vesparum condi-

*) Chorus igitur sui ipsius quis sit oblitus, quam antea praedicavit vitam judicialem nunc improbat. Pari modo sententiam mutat chorus Acharn. Nubium, Pacis.

†) Dr. I. Stanger. Ueber Umarbeitung einiger Aristophanischen Komödien.

tionem explicandam suspicatur Comoediam qualis hodie exstat ab ea, quae A°. 422 Athenis docta sit, non nihil discrepare. Docet Aristophanem postea nostram comoediam retractavisse, ante omnium secundam fabulae partem; nostrosque libros hujus διασκευῆς nonnulla vestigia exhibere.

Etsi primo obutu haec conjectura multum habet, quo se commendet, vereor ut satis firmis nitatur argumentis. Cujus sententiae in sequentibus rationem reddam. Lectores judicanto.

Grammatici tradunt poëtas Graecos interdum fabulas, paucis mutatis, iterum docuisse, hujusque rei multa afferunt exempla. *) Nullum habemus testimonium e quo conficere licet Aristophanem Vespas correxisse ut denuo in scenam produceret. Recurrendum igitur ad parodias; si enim in nostra Comoedia vel unus reperiatur versus, quo manifesto poëta luserit locum alicujus tragoediae post annum 422 actae nullum dubium relinquitur.

Talem suspicionem praebet Vesp. v.s. 1160.

Bdelycleo patrem jubet, ut vetustis calceis abjectis, baxeas Laconicas induat. Cui Philocleo:

---

*) Numquam poëtae Graeci fabulam iterum in certamen proposuerunt nisi emendatam et perpolitam. Boeckh. de Graecae trag. principibus p. 23 „Nam ut nihil dicam de studio emendandi, Graecae aures aliquid semper appetebant novi et si quis denuo de praemio dimicare publice volebat, nova afferre debebat, ne res judicata iterum judicaretur."

Atheniensium novi studium confirmat Act. Apost. XVII. 21 Ἀθηναῖοι δὲ πάντες εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν ἢ λέγειν τι ἢ ἀκούειν καινότερον.

Ἐγὼ γὰρ ἄν πλαίην ὑποδήσασθαί ποτε
ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα;

Alterum versum tragico quodam colore tinctum esse satis apparet, iisque lubenter calculum adjicio, qui eum conformatum esse dicunt ad Euripidis Heraclidarum vs. 1006.

ἐχθροῦ λέοντος δυσμενῆ βλαστήματα.

Jam quaeratur, quo anno Euripidis tragoedia docta sit. Boeckh evincere nititur Heraclidas esse doctam A°. 417 neque mirum Stanger ei adstipulari, ut egregii Viri sententia suam ipsius conjecturam tueatur. *) Alii autem vehementer huic opinioni repugnantes contendunt Euripidem hanc tragoediam ante Vesparum commissionem docuisse †). In tanta vir. doctt. discrepantia non temere statuamus, injuria Stanger ad suam conjecturam stabiliendam ex Heracl. vs. 1006 auxilium petivisse.

Firmius auxilium afferre videtur v.s. 1326.

Proruit in scenam Philocleo, e convivio egressus taedam vibrans hisce verbis:

ἄνεχε πάρεχε
κλαύσεταί τις τῶν ὄπισθεν
ἐπακολουθούντων ἐμοί.

Ad vs. 1326 Schol. adnotat ὁ δὲ νοῦς παρὰ τὴν ἐν Τρῳάσι Κασσάνδραν.

Quo tempore in certamen sit proposita Troadum fabula

*) Boeckh de Gr. trag. princip. p. 190

†) Roscher Leben, Werk und Zeitalter des Thucydides p. 540 Zirndorfer de Chronologia fab. Euripidearnm p. 27. Pflugk ap. Bernhardy p. 484.

complura docent testimonia. Idem Schol. ita pergit: ὅμως ὑστερεῖ ἡ τῶν Τρῳάδων κάθεσις ἔτεσιν ἑπτά. Vesparum fabula acta est A$_o$. 422 Troades igitur A°. 415.

Schol. ad Av. 842 tradit: μήποτε δὲ παρακωμῳδεῖ τὸν Εὐριπίδου Παλαμήδην οὐ πρὸ πολλοῦ δεδιδαγμένον. Notum est Palameden ad eandem pertinere trilogiam ac Troades, Aristophanemque Aves docuisse A°. 414.

Hujus Scholiastae verba igitur confirmant, quae leguntur ad Vesp. 1326.

Etsi minima ceteroquim auctoritas est tribuenda Aeliano, addatur hunc scriptorem tradere Var. Hist. II. 8 Troades in scenam esse propositam Ol. 91 i. e. inter annos 416 et 412 a. Chr. n.

Satis certum igitur videtur Troadum fabulam nonnullis annis post Vespas actam esse.

Restat ut inquiramus an revera Aristophanes Vesp. vs. 1326 luserit Troad. vs. 308. Quam rem nulla in dubitatione versari affirmat Stanger hisce argumentis ductus.

Ad testimonium Schol. Vesp. 1326 accedit auctoritas Schol. ad Av. 1720, locum nostro simillimum:

Ἄναγε, δίεχε, πάραγε, πάρεχε,
περιπέτεσθε
μάκαρα μάκαρι σὺν τύχᾳ *)

Quibus versibus adscribitur: χλευάζει δὲ παρὰ τὰ ἐκ Τρῳάδων Εὐριπίδου „ἄνεχε, πάρεχε, φῶς φέρε."

---

*) Th. Kock in sua Avium editione, nullis tamen argumentis allatis, negat de parodia esse cogitandum.

Neque illud negligendum eos, qui in utraque fabula his verbis utuntur, in eodem animi motu versari. Apud tragicum Cassandra bacchico ornatu instructa μαινὰς θοάζει, Philocleonem vinum insolitum ad bacchicum fere furorem stimulavit.

Non desunt tamen quae hisce opponam. Dubitare licet an ex certo fonte Scholiasta hauserit. Illud „ὅμως ὑστερεῖ ἡ τῶν Τρῳάδων κάθεσις ἔτεσιν ἑπτά" mihi videtur ostendere illam chronologiae discrepantiam ipsum Grammaticum offendere eique rem non satis esse exploratam. Notatu dignissimum utique est eum ne conari quidem haec inter sese conciliare.

Afferatur exemplum Grammatici in tali re errantis.

Asclepiades docet Av. vs. 348

καὶ δοῦναι ῥύγχει φορβάν

sumtum esse ex Euripidis Andromeda

ἐκθεῖναι κήτει φορβάν.

Scholiasta meliora edoctus adnotat: ὡς Ἀσκληπιάδης, τὰ μηδέπω διδαχθείσης τραγῳδίας παρατιθέμενος. *)

Praeterea alius exstat locus quo Euripides illud ἄνεχε πάρεχε usurpavit, Cyclop. vs. 203

ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε; τίς ἡ ῥᾳθυμία;

Fieri potest ut Euripides, qui bis in dramatis servatis ea locutione usus est, eandem scripserit in tragoedia deper-

---

*) Constat Andromedam in scenam esse productam Ol. 92. 1. Nauck ad Aves 348: „fortasse Euripides Sophoclem imitatus est, cujus locum parodia expresserit Aristophanes."

dita ante Vespas docta, Aristophanesque ad eam parodia sua alluserit.

Attamen in hac explicatione acquiescere non possum.

Apparet inter eos qui operam dederunt ut Aristophanem explicarent, non convenire, quid significet *ἄνεχε πάρεχε*.

Dindorf. vertit: desinite, concedite.

Richter in sua Vesparum editione huic versui adscribit: Videtur formula usitata esse ejus, qui aliquem suo loco subsistere jubet.

L. Seeger illa verba Germanice reddit: Platz da! Packt euch!

Hi omnes inter sese dissentiunt.

Ut statim dicam quid de istorum verborum significatione sentiam, credo clamorem usitatum esse eorum, qui taedam gestantes bacchico ululatu incedunt.

Objectum igitur verbi *ἄνεχε* est *δᾷδα* quod eodem modo ad vocem, *πάρεχε* requiritur. Simile exemplum legitur Eur. Iphig. Aul. vs. 733:

Κλ . . . . *τίς δ' ἀνασχήσει φλόγα;*

'Αγ. *ἐγὼ παρέξω φῶς ὃ νυμφίοις πρέπει.*

Conferatur etiam Ion. vs. 716:

ἵνα Βάκχιος ἀμφιπύρους ἀνέχων πεύκας

λαιψηρὰ πηδᾷ νυκτιπόλοις ἅμα σὺν βάκχαις.

Revertamur ad Cyclop. vs. 203.

Silenus Satyrique vino, quod Ulysses praebuit inebriati, magno clamore hilaritatem significant. Advenit Polyphemus iratusque exclamat:

ἄνεχε, πάρεχε, τί τάδε; τί; ἡ ῥαθυμία;
τί βακχιαζετ'; οὐχὶ Διόνυσος τάδε.

Profecto in ore Cyclopis „ἄνεχε πάρεχε" non significat „desinite concedite" vel tale quid. Hoc si voluisset plurali numero usus fuisset quemadmodum in versu sequenti: τί βακχιάζετ'.

Ego mihi ita persuadeo, Cyclopem his verbis, quae extremam notent laetitiam bacchicamque exsultationem, acerbe et amare potantes convivas perstringere. Namque non potest aliquis cum majore contemptu in adversarium invehi quam ut verba quibus ille aut usus est aut quae ejus menti et animo fere conveniunt, stridula voce enuntiet.

Quid velim aliquantulo lectori perspicuum erit si sibi ante oculos posuerit Philocleonem Chori verbis vs. 1334.

ἄθροι γὰρ ἥξομέν σε προσκαλούμενοι

ita respondentem

ἰὴ ἰοῦ καλούμενοι.

Duos in priore Vesparum parte observavi locos insigni mendo laborantes.

Orationibus de judiciis habitis, Bdelycleo patri persuadere conatur, ut in posterum domi indulgeat amori judiciali. Eo magis tale consilium ei arridet, quum secum reputet se drachmam judicialem solum esse accepturum, neque collegam sibi posse imponere quemadmodum nuper accidisset. *)

---

*) Vesp. vs. 787.

αἴσχιστα γάρ τοί μ' εἰργάσατο Λυσίστρατος

Bdelycleo igitur ex sene incerto quid agat, quaerit vs. 796

ὁρᾷς ὅσον καὶ τοῦτο δῆτα κερδανεῖς;

Cui Philocleo:

οὐ πάνυ τι μικρόν. ἀλλ' ὅπερ μέλλεις ποίει
κἂν γὰρ πυρέττω τόν γε μισθὸν λήψομαι.

Ad haec respondet Bdelycleo:

ἀνάμενέ νυν. ἐγὼ δὲ ταῦθ' ἥξω φέρων.

Quaerendum, quae tandem sint illa ταῦτα quorum nemo ullam adhuc mentionem fecit. E sequentibus apparet Bdelycleonem designavisse omnia ad jus dicendum necessaria. Reversus enim sic patrem alloquitur vs. 806.

ἰδού, τί ἔτ' ἐρεῖς; ὡς ἅπαντ' ἐγὼ φέρω
ὅσαπερ ἔφασκον κἄτι πολλῷ πλείονα.

In nostris libris haudquaquam ea commemorantur ad quae illud ὅσαπερ ἔφασκον referas. Necesse est ante vs. 799 nonnullos versus excidisse, quibus Philocleo polliceatur se filio morem esse gesturum, juvenisque se omnia jam parare et afferre enuntiet.

Ad secundum locum transeamus. Afferentur omnia quae requiruntur ad judicium rite peragendum. Quibus ordine dispositis, Bdelycleo animadvertit adhuc deesse ignem et thus quae in unoquoque judicio opus erant ad deos

---

ὁ σκωπτόλης. δραχμὴν μετ' ἐμοῦ πρώην λαβὼν
ἐλθὼν διεκερματίζετ' ἐν τοῖς ἰχθύσιν,
κᾆτειτ' ἐπέθηκε τρεῖς λοπίδας μοι κεστρέων
κἀγὼ 'νέκαψ' ὀβολοὺς γὰρ ᾠόμην λαβεῖν.
κᾆτα βδελυχθεὶς ὀσφρόμενος ἐξέπτυσα.
κᾆθ' εἷλκον αὐτόν.

venerandos. Itaque servum quendam jubet vs. 860.

ἀλλ' ὡς τάχιστα πῦρ τις ἐξενεγκάτω

Attamen ignis jam adest teste ipso Bdelycleone vs. 812

καὶ πῦρ γε τουτί.

Quum vs. 812 tum vs. 860 cum proxime praecedentibus et sequentibus optime cohaeret. Fieri igitur potest ut poëta, quorum antea scripserat oblitus, vs. 860 denuo ignem commemoraverit.

Quae sententia si minus placet statuendum vs. 860 scribam quendam aut corrupisse, aut ceteris inseruisse.

Finem faciamus duos versus spurios indicando.

Jam in eo est Philocleo, ut Heliaea potentia laudare incipiat.

In Editione Meinekii haec praecedunt:

ΧΟΡΟΣ

νῦν δὴ τὸν ἐκ θἠμετέρου vs. 526
γυμνασίου δεῖ τι λέγειν
καινόν, ὅπως φανήσει

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ

ἐνεγκάτω μοι δεῦρο τὴν κίστην τις ὡς τάχιστα.
ἀτὰρ φανεῖ ποῖός τις ὢν ἢν ταῦτα παρακελεύῃ; vs. 530

ΧΟΡΟΣ

μὴ κατὰ τὸν νεανίαν
τόνδε λέγων. κ. τ. λ.

Versum 530 alii alio modo explicuerunt.

Brunck eum Choro dat et ita vertit: „Non prorsus homo nihili videberis, si istud tibi jubes dari."

Richter contendit Bdelycleonis esse versum ejusque

hanc fere esse significationem: „Non decet te etiam magis impellere. Qualis igitur eris, aut videberis omnibus esse, si ad haec eum cohortaberis."

Similiter Dindorf.

Seeger denique Philocleoni hunc versum tribuit, in vertendo sequitur Brunck.

Inter omnes, ni fallor, hodie constat vs. 530 Choro esse abjudicandum. Attamen quid quaeso significaret in ore Bdelycleonis? Nonne ineptum est postquam juvenis jussit: „ferat huc scrinium mihi aliquis ocius," ad senes ira commotos eum facere dicentem: „sed tu qualis videberis esse, si ita eum incitas!"

Ne multa. Ex Aristophanis manu vs. 530 numquam est profectus.

Manifesto mediam Chori adhortationem Bdelycleo interrumpit. Nescio quis Grammaticus arbitratus est post vs. 528 Chorum finem facere dicendi et denuo vs. 531 suam ad sodalem orationem incipere. Quod apparet ex hisce, quae ad vs. 528 annotat Schol. ὅπως: τὸ πλῆρες τοῦ λόγου φανήσῃ καινόν τι λέγων, sed multo etiam clarius ex iis quae statim sequuntur: ὅπως φανήσῃ: Λείπει γενναῖος, ἐγκρατής.

Quum haec ita intellegeret molestias ei exhibuit participium λέγων in vs. 532. Novum ideo de suo addidit versum nostrum locum prorsus deformantem.

Luculentum quod meam suspicionem confirmet argumentum afferam.

Versuum 529, 530 Antistrophici sunt 634, 635.

οὔκουν ἐρήμας ᾤεθ' οὗτος ῥᾳδίως τρυγήσειν;
καλῶς γὰρ ᾔδειν ὡς ἐγὼ ταύτῃ κρατιστός εἰμι.

Omnes, quod sciam; hos versus tali fore modo vertunt: „Non; verum ille sperabat desertas vineas se vindemiaturum; probe enim norat me hac arte plurimum valere."

Vehementer miror neminem adhuc haecce offendisse. Quid? Bdelycleo existimaret facilem se victoriam esse reportaturum quia norat patrem multum dicendo valere! Nugae. Grammaticus, ne vs. 530, quem Aristophani imposuerat, Antistrophicus deesset ridiculum hunc versum inseruit.

Hoc addatur.

Velut alter Ulysses Philocleo ventri asini firmiter inhaerescens e domo filii evadere conatur. Tum Bdelycleo vs. 196:

ὤθει τὸν ὄνον καὶ σαυτὸν ἐς τὴν οἰκίαν.

Patrem igitur jubet asinum et semet ipsum in domum detrudere. Quod imperium tam vehementer senem permovet, ut timoris plenus, exclamat:

ὦ ξυνδικασταὶ· καὶ Κλέων ἀμύνατε.

Non video illud Bdelycleonis „domum te confer" tantam habere vim ut pavido et perterrito seni talem clamorem excutiat. Longe secus esset, si a servis jussu domini comprehensus, vi in aedes detruderetur.

Revera sic rem sese habere efficitur ex iis quae mox sequuntur:

Patrem enim Philocleo alloquitur;

ἔνδον κέκραχθι τῆς θύρας κεκλημένης.

Ad servum conversus addit:

ὤθει σὺ πολλοὺς τῶν λίθων πρὸς τὴν θύραν,

καὶ τὴν βάλανον ἔμβαλλε πάλιν ἐς τὸν μοχλόν, κ. τ. λ..

Pro certo sumere possumus, si quis in domo reclusus magnum clamorem tollere incipiat, omnibusque rebus janua muniatur ne evadat, illum hominem quam maxime invitum ac repugnantem in domum esse propulsum.

Quem sensum a nostro loco efflagitatum restitues si levi mutatione facta vs. 196 legas:

ὤθει τὸν ὄνον παῖ καὐτὸν ἐς τὴν οἰκίαν

Cum nostro loco ita restituto comparari optime potest locus ex initio Acharnensium. Amphitheus pacis mentionem facit. Statim praeco τοὺς τοξότας advocat, qui protinus hominem arripiunt et e contione ejiciunt, ut apparet e vs. 55. Exclamat enim Amphitheus:

ὦ Τριπτόλεμε καὶ Κελεὲ περιόψεσθέ με;

THESES.

THESES.

I.

Errant qui arbitrantur Aristophanem patriae amore ductum suas fabulas conscripsisse.

II.

Ex Vesparum fabula qualem nunc habemus non potest satis firmis argumentis effici eam a poëta esse retractatam.

III.

Vesp. vs. 341. sqq.

τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χα —
νεῖν ὁ δημολογοκλέων ὅδ'
ὅτι λέγεις σύ τι περὶ τῶν νε —
ῶν ἀληθές.

Injuria adhuc neglexerunt Editores Bentleii emendationem *νέων*

IV.

Vesp. vs. 635

καλῶς γὰρ ᾔδειν ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιστός εἰμι.

Deleatur cum versu antistrophico 530.

V.

Vesp. vs. 820

ὦ δέσποθ' ἥρως ὡς χαλεπὸς ἄρ' ἦσθ' ἰδεῖν.

Legendum *εἰσιδεῖν.*

VI.

Schol. ad Vesp. 93 ..... *καὶ οὕτως ἔπαυον τὸν ῥήτορα. τοῦτο δὲ ἐποίουν διὰ τὸ φλυαρεῖν τὸν λέγοντα καὶ ἐμποδίζειν ἄλλοις θέλουσι λέγειν, ἵνα τὰ σπουδαῖα λέξας ἐξέλθῃ.*

Legendum: *διὰ τὸ μὴ φλυαρεῖν τ. λ. κ. μὴ ἐμποδίζειν ἀ. θ. λ. ἵνα τὰ σπουδαῖα λέξων παρέλθῃ.*

VII.

Schol. ad Vesp. 106: *ὅτε δὲ πλείους ἦσαν αἱ λευκαί, ὁ διώκων ἐνίκα, ὁ φεύγων δ' ἦν πλείους αἱ μέλαιναι κατεκρίνετο.*

Legendum: *ὅτε δὲ πλείους ἦσαν αἱ λευκαί, ὁ φεύγων ἐνίκα, ἦν δὲ πλείους αἱ μέλαιναι, κατεκρίνετο.*

VIII.

Aristoph. Acharn. vs. 347:

ἐμέλλετ' ἄρ' ἅπαντες ἀνασείειν βοήν.

Leg. *ἀνατείνειν.*

IX.

Ibid. vs. 519:

ἐσυκοφάντει Μεγαρέων τὰ χλανίσκια.

Leg. *ἃ 'συκοφάντει.*

X.

Ibid. vs. 928.

ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ κατάγῃ φορούμενος

a novissimis Editoribus ut subditicius damnatur; at videtur Aristophanes scripsisse *παταγῇ*.

XI.

Soph. Trach. vs. 195:

κύκλῳ γὰρ αὐτὸν Μηλιεὺς ἅπας λεὼς
κρίνει παραστάς, οὐδ' ἔχει βῆναι πρόσω.

Leg. *περιστάς.*

XII.

Ibid. vs. 379:

ἡ κάρτα λαμπρὰ καὶ κατ' ὄμμα καὶ φύσιν

Leg. *ὄνομα.*

XIII.

Thuc. I. 124 *ὡς οὐκέτι ἐνδέχεται περιμένοντας τοὺς μὲν ἤδη βλάπτεσθαι, τοὺς δ', εἰ γνωσθησόμεθα ξυνελθόντες μέν, ἀμύνεσθαι δὲ οὐ τολμῶντες, μὴ πολὺ ὕστερον τὸ αὐτὸ πάσχειν.*

Inserendum *οὐ* ante *πολύ.*

XIV.

Caesar d. B. G. II. 20. Caesari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum (quod erat insigne cum ad arma concurri opporteret) signum tuba dandum, ab opera milites revocandi cet.

Verba uncinis inclusa deleantur.

XV.

Ibidem VII. 35. Reliquas copias cum omnibus impedimentis, ut consueverat, misit, c a p t i s quibusdam cohortibus uti numerus legionum constare videretur.

Pro c a p t i s leg. p a r t i t i s.

XVI.

Ovid. Metam. V vs. 130. sq.

quo non possederat alter
Latius, aut totidem tollebat f a r r i s acervos.

Rejiciatur Merkelii lectio t u r i s; retinendum f a r r i s.

XVII.

Ibidem XI. vs. 754 sqq.

Regia progenies; et si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quaeris, sunt hujus origo
Ilus et Assaracus, raptusque Jovi Ganymedes,
Laomedonque senex Priamusque novissima Troiae cet.

Tali modo restituantur:

Regia progenies; huic si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quaeris, sunt Ilus origo
Laomedonque senex Priamusque novissima Troiae cet.

XVIII.

Cicero Brut. VIII. 31. His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat v e r b i s.

Pro vocabulo v e r b i s quod sensu caret lege u r b a n i u s.

XIX.

Ibidem XCI. 315. Post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus.

Legendum: Post a me Asia tota peragrata est e t summis quidem oratoribus usus sum.

XX.

Cicero pro Roscio Am. 26. deinde aliquanto l e n t i u s n i h i l agere.

Leg. aliquanto insolentius agere.

XXI.

Non assentior Bentleio Hor. Epist. I. 7. 29 pro v o l p e c u l a legenti n i t e d u l a quod L. Müller recepit.

XXII.

Catul. LXVI. vs. 15.
Estne novis nuptis odio venus? a n n e p a r e n t u m
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis, cet.
Leg. a n n e m a r i t i.

XXIII.

Celebratum est Heracliteum illud: *πουλυμαθίη νόον οὐ διδάσκει*; prudentissime tamen judicavit Anaxarchus: *πολυμαθίη κάρτα μὲν ὠφελέει, κάρτα δὲ βλάπτει τὸν ἔχοντα: ὠφελέει τὸν δεξιὸν ἄνδρα.*

XXIV.

Het karakter van Cato Minor is door Mommsen niet juist opgevat.

XXV.

Ten onrechte gebruiken eenige schrijvers den vorm »der" als 3de naamv. vrl. meerv.

XXVI.

Aan vreemde woorden en uitdrukkingen moet alleen dan het burgerrecht worden toegekend, indien de vorming overeenkomt met onze taalwetten en zij in een bepaalde behoefte voorzien.

Krachtig verzet tegen de pogingen, in den laatsten tijd aangewend, om op dezen regel inbreuk te maken, is noodzakelijk.

XXVII.

Het verdient aanbeveling verouderde woorden en uitdrukkingen wier verdwijnen werkelijk een verlies voor de taal is, weder in gebruik te brengen.

Ex Typographeo De Breuk & Smits.